Marburg.

ELEGIAE IN MAECENATEM COMMENTARIO GRAMMATICO INSTRVCTAE ADIVNCTA QVAESTIONE CHRONOLOGICA

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

IVLIVS MIDDENDORF
HASSLEIENSIS BORVSSVS

MARPVRGI CATTORVM A. MCMXII
TYPIS CHR. SCHAAF

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine referente Theodoro Birt probata est die X mensis Iulii MCMXII.

Theodoro Birt

s.

De elegiis in Maecenatem, quas ego sub finem huius libelli denuo edidi, quaestionem instituere mihi propositum est. Quamquam enim haud pauci viri docti has elegias tractabant, tamen nondum opusculum exstat praecipue de incerti horum elegorum auctoris loquendi usu conscriptum. Ut vero scriptorem omnino intellegamus et quantum quisque animi et ingenii habeat detegamus vel tempus artius determinemus, quo carmen aliquod conscriptum sit, nulla re magis efficitur quam accurata cognitione earum rerum quae eius loquendi rationis sunt propriae; accedit vero res metrica, quae ad talem quaestionem solvendam adiumentum praebet non neglegendum. Qua de causa in altera huius dissertationis parte ea proferam, quae de incerti auctoris genere dicendi maxime mihi visa sunt digna quae componerentur; in altera autem rem metricam tractabo.

Sed antequam rem ipsam aggrediar, nonnullis verbis attingam consolationem ad Liviam, quo de carmine viri docti inde ab Hauptii temporibus usque ad nostram aetatem valde dissentiunt. Huius vero quaestionis historiam usque ad annum 1888, cum bene scripsisse mihi videatur G. Wiedingius[1]), hoc loco praetermittere mihi liceat. Idem M. Hauptii[2]) argumentis quibus ille confisus consolationem ad Liviam omnino ex antiquitate eiecit, eodem iure fundamenta subduxit, quo Baehrensii[3]) opinionem qui statuebat epicedion sub ipsum Drusi obitum

1) Wieding, G., de aetate consol. ad Liviam, diss. Kieliae a. 1888, p. 6 sqq.

2) Haupt, M., in programmate Lips. anni 1849 (= opusc. I p. 315 sqq., Lips. a. 1875).

3) Baehrens, Aem., poet. lat. minores, I p. 97 sq., Lips. a. 1879.

compositum esse refutavit. Iam ante Wiedingium F. Th. Adler [1]), Aem. Huebner [2]), Carol. Schenkelius [3]) contra Hauptii sententiam pugnaverunt. Accedit quod F. Skutschius [4]) non modo demonstravit epicedii scriptorem canonis rhetorici, quem Pseudo-Dionysius atque Pseudo-Menander nobis tradiderunt, non ignarum fuisse, sed etiam diligentissima comparatione ostendit hoc in carmine eosdem locos communes (quos Graeci *τόπους* vocant) atque figuras inesse, quae in aliis quoque scriptis consolatoriis primi post Christum natum saeculi inveniuntur, quae iisdem praeceptis apud philosophos et rhetores usitatis uti solent.

Quod vero idem vir doctus carmen de quo disputamus eo fere anno quo Drusus mortuus est conditum esse affirmat probare nequeo. Ac primum quidem facere non possum quin Wiedingio assentiar, qui ex Ovidii tristibus et ex Ponto epistulis consolationis scriptorem hausisse contendit. Rem ita se habere facile intelleges, si hos locos comparaveris:

trist. II 426: casurumque triplex vaticinatur opus.
cf. cons. v. 362: casurum triplex vaticinatur opus.
trist. I 3, 42: singultu medios impediente sonos.
cf. consol. v. 120: singultu medios impediente sonos.

Hunc igitur versum epicedii scriptor ad verbum ex Ovidio sumpsit, ex quo similitudinem non fortuitam exstare intellegitur. Ex versibus

trist. IV 2, 42: decolor ipse suo sanguine Rhenus erat
et ex Ponto III 4, 108: Rhenus et infectas sanguine portet aquas

sine dubio consuti sunt consolationis vv. 385 sqq.:

Rhenus et Alpinae valles et sanguine nigro
decolor infecta testis Isargus aqua [5]).

Ceteros consolationis versus, quibus est magna similitudo cum versibus, qui exstant in Ovidii tristibus et ex Ponto epistulis,

---

1) F. Th. Adler, in progr. Anclam. anni 1851.

2) Huebner, Aem., Herm. XIII (a. 1878), p. 145 sqq.

3) Schenkl, Carol., stud. Vindobon. II (a. 1880), p. 56 sq.

4) Skutsch, F., in Pauly-Wissowae encyclop. reali, s. v. „consolatio ad Liv.“ (tom. IV p. 933 sqq.)

5) cf. Wieding, l. c. p. 23.

praeterire mihi liceat, cum loci allati sufficere mihi videantur. Huc accedit, quod Ovidii versus quos attuli praeclare inter se cohaerent, epicedii autem nonnulli versus verba antecedentia tantum latius explicantes saepe supervacanei sunt, id quod praecipue pertinet ad pentametros, quorum poeta maxime indiget. Quae ex Adleri, Hauptii, Huebneri collectionibus intellegi posse iam Wiedingius recte animadvertit[1]).

Fieri igitur non potest, ut ad Skutschii sententiam accedam, qui cum epicedion sub ipsum Drusi obitum compositum esse censeat, laudatorem Drusi ex illis Ovidii scriptis hausisse negat, quae post annum a. Chr. n. nonum edita sunt. Ut vero Ovidium epicedii imitatorem esse putet, eo quoque adducitur, quod Lygdamum Ovidii exemplum fuisse contendit. Etsi hac de re fortasse dubitare licet, tamen mihi quidem rem contrariam esse persuasum est[2]). Uno autem loco Skutschius Ovidium in ipso furto deprehendere sibi videbatur comparans consolationis versum 104:

accusatque annos ut diuturna suos

cum versu trist. V 5, 24:

consumatque annos sed diuturna suos.

Quos versus simillimos esse negari non potest; sed locis collatis ipsis certo diiudicari vix potest, uter poetarum imitator sit. Illud *sed* in versu Ovidiano non vituperandum puto, quod pertinens ad *consumat* optime ad sensum quadrat. Sed liceat mihi exscribere quae hac de re Ehwaldius[3]) tam commode dixit ut melius verbis exprimi vix posset. Qui vir doctus postquam se Ovidium Lygdami imitatorem credere dixit sic pergit: „Aber praktisch wird doch wohl das freilich bis zu einem gewissen Grade subjektive Kriterium über den Zusammenhang und den Sinn der Verse entscheiden und auch Skutsch macht von diesem zu Gunsten seiner Annahme bei Vergleichung von trist. V 5, 24

---

1) Wieding, l. c. p. 22 et adnot. 3.

2) cf. Marx, in Pauly-Wissow. encycl. real. I, p. 1325. — Birt, Th., Die Buchrolle in der Kunst, Lips. a. 1907, p. 236 adn. 4.

3) R. Ehwald, annal. Bursian. 109 (a. 1901), p. 183 sqq. Iam priusquam hanc censuram prudenter factam legeram, idem fere me sensisse confiteor. Attamen ea quae Ehwaldius scripsit, mihi non ita parvo commodo fuerunt.

(consumatque annos sed diuturna suos) und cons. 104 *(accusatque annos ut diuturna suos)* Gebrauch, den ovidischen Vers, wie ich glaube, mit Unrecht wegen des „gar nicht wohl“ passenden, ja im Widerspruch mit *suos* stehenden *sed* tadelnd; und doch ist das *sed* ebenso passend mit Beziehung auf *consumat* wie *ut* in Beziehung auf *accusat*. Im Gegensatz zu Skutsch meine ich weiter, daß trist. I 3, 42 *(singultu medios impediente sonos)* in der Erzählung bei Ovid trefflich paßt, während derselbe Vers in der consolatio als Einleitung zu einer Rede von 30 Versen mir durchaus unpassend erscheint; ebenso ist trist. II 426 *(casurumque triplex vaticinatur opus)* im Anschluß an das vorhergehende *Lucretius explicat* untadelig, während es consol. 362 so auffallend ist, daß Annahme einer starken Korruptel ihm aufhelfen soll; ich glaube aber, an

ecce necem intentam caelo terraeque fretoque
casurum triplex vaticinatur opus

ist nichts zu ändern, wenn auch *triplex* mit langer Pänultima dem ovidischen Gebrauch (s. Hilberg, serta Hartel. p. 173) widerspricht, und zu *vaticinatur* als Subjekt *mors* oder *nex*, entsprechend v. 360, zu ergänzen: wer ändert, der ändert, fürchte ich, das Original. Ebenso scheint mir cons. v. 86 eine durch das Metrum notwendige Abänderung von trist. I 3, 90 vorzuliegen unter Verwendung von trist. IV 2, 34. Aber die von Skutsch vertretene Ansicht hat doch noch weitere Konsequenzen: sie nötigt, alle nach 9 v. Chr. geschriebene mit der consolatio stimmende Verse Ovids als durch diese beeinflußt anzusehen, während doch z. B. fast. V 552 (= cons. 284) und fast. I 300 (= cons. 46) gerade spezifisch ovidische Eigentümlichkeiten im Ausdruck und Versbau *(conspicienda* und *exeruisse* in der 2. Hälfte des Pentameters, s. Eschenburg, Progr. von Lübeck 1886, p. 31 u. 29) zeigen und Nachahmung der sicherlich vor 9 v. Chr. geschriebenen ovidischen Dichtungen, so besonders am. III 9 durch den consolator unbestreitbar ist, endlich in der Art der Beziehungen zu den ovidischen Dichtungen von den amores bis zu den Pontica (ex Ponto III 4, 108, cons. 385; ex Ponto II 8, 48, cons. 472) sich kein Unterschied zeigt.“

Quae disputatio ad persuadendum aptissima et maximi momenti esse mihi quidem videtur.

Jam vero ad alteram quaestionem veniamus. Skutschius enim l. c. Castorum templum a Druso vivo una cum Tiberio dedicatum incendio vastatum esse duobus annis post Drusi mortem, i. e. anno a. Chr. n. VII/VI, atque ad illud templum consolationis versus 283 sqq. pertinere contendit. Quam quidem coniecturam antiqui scriptoris testimonio non confirmatam primus fecit R. Merkelius[1]) et denuo tractavit Wissowa[2]). Sed Ehwaldius suo iure l. c. dicit: „Aber wenn schon die . . . . aufgestellte Vermutung vom damaligen Untergang des Dioskurentempels richtig zu sein scheint, . . . so führt doch auf die Annahme eines zweimaligen Aufbaus durch Tiberius nicht die geringste Spur, und an sich wäre es doch wahrscheinlicher, daß diese auffallende Tatsache erwähnt worden wäre, besonders da die Weihung in Tiberius' und Drusus' Namen ausdrücklich erwähnt ist."

Nam constat Tiberium in fronte illius aedis, quam de manubiis belli Germanici Castoribus dedicavit anno ab urbe condita 759, i. e. 6 p. Chr. n. non modo suum, sed etiam Drusi nomen inscripsisse[3]). Quam ipsam rem consolationis versus 283 sq. tangunt atque illa interpretatio, qua hi versus ad templum duobus annis post Drusum mortuum incendio vastatum referuntur, mihi quidem nimia quadam et molesta diligentia arcessita videtur esse[4]).

Difficilior autem est quaestio de ratione, quae inter Senecae philosophi scripta consolatoria et epicedion Drusi statuenda est. Skutschio quidem sine dubio concedendum est verborum similitudinem persaepe eo excusandam esse quod et Seneca et consolationis scriptor easdem sententias verbis efferre voluerint. Sed inter Senecae illum locum, quo de mundi interitu verba

1) Merkel, R., proleg. ad Ovid. fast. edit. p. CXXVI, Berol. a. 1841.

2) Wissowa, G., analecta Roman. topogr., p. 16, a. 1897.

3) cf. Cass. Dio 55, 27; Sueton, Tib. c. 20.

4) cf. Jordan, H., Topogr. d. Stadt Rom i. Altert., I 2 p. 369 sqq., Berol. a. 1885. — Richter, O., Topogr. d. Stadt Rom, p. 86 sq., Monaci a. 1901².

facit (ad Polyb. I 2) et consolationis versus 361—364 non modo sententiarum sed etiam verborum ipsorum similitudo tanta est, ut cum O. Schantzio[1]) alterum scriptorem ante alterius oculos fuisse contenderim. Uter autem imitator sit, vix dubitare licet. Nam non verisimile est Senecam „clarissimum totius Latinitatis philosophum" ex parvo nostro carmine verba eo modo hausisse quo putandus est illi, qui ad Skutschii sententiam accedere vult. Deinde vereor ne non liceat illos Senecae sententiarum ordines bene compositos ex hoc carmine derivare, quod saepe dispositione plana caret.

De ratione vero quae exstat inter consolationes poeticas atque prosaicas recte iudicavisse Schantzius videtur, qui sub finem quaestionis quam instituit de carminum consolatoriorum apud Graecos et Romanos historia haec dicit[2]): . . . . „non omnino consentio cum Bureschio[3]), qui poetas iam multo ante scriptores prosaicos consolationes composuisse contendit. Id tantum concedo iam veteres poetas graecos in carminibus suis adhibuisse singula consolandi argumenta, quibus postea philosophi et rhetores utebantur ad consolationes conscribendas; sed philosophis demum et rhetoribus deberi puto consolationes argumentis philosophicis instructas et dialectice elaboratas. Deinde Alexandrini poetae quique disciplinam eorum sunt secuti exceperunt hoc litterarum genus, quod poetice quidem sed rhetorico modo coluerunt. A Graecis autem Romani cum ceteris litterarum generibus consolatorium quoque acceperunt, et initio prosaici scriptores maxime id colebant philosophos graecos imitati, donec primo p. Chr. n. saeculo versibus consolationes componi coeptae sunt et scribebantur quasi suasoriae poeticae; nam etiam in his disciplinam rhetoricam agnovimus."

Accedit aliud argumentum. In versu 393 participium *functus* sensu *morte defunctus* adhibitum est. Qui vocis *functus* usus ab Augustea aetate quam maxime alienus est. *Defunctus*

---

1) Schantz, O., de incerti poet. cons. ad Liv. etc., diss. Marp. a. 1889, p. 6 sq.

2) Idem, l. c. p. 69 et 70.

3) Buresch, Carol., consolationum a Graecis Romanisque script. historia crit., in stud. Lips. IX, p. 1—171, a. 1887.

vero pro mortuo nude positum multo saepius occurrit atque prius receptum videtur esse quam *functus,* quod participium absolute usurpatum non invenitur ante Senecam, quem his duobus locis hanc vocem adhibuisse video[1]):

Thyest. 749: ne tegat functos humus.
Medea 999: coniunx socerque iusta iam functis habent
a me sepulti.

Dignum est hoc argumentum quod respiciamus.

Quibus argumentis allatis adducor, ut consolationis scriptorem in Senecae scriptis consolatoriis assidue legendis ita versatum esse existimem, ut multa ex iis memoria teneret. Neque enim consulto poeta omnes illos Senecae locos imitatus est, quibus cum consolationis versibus magna est similitudo, sed diligenti studio id eum assecutum esse aio, ut fortuito fere Senecae verba ei in memoriam redirent, cum similes sententias verbis exprimere voluit.

Sane non omnia argumenta consolatoria, quibus Seneca ad consolandum usus est, etiam in Drusi epicedio inveniuntur. Sed ne id quidem argumentum opinioni nostrae obstat. Nam ut supra diximus epicedii scriptor non ita ad Senecam se applicavit, ut omnia, quae in scriptis eius inveniebat, in carmen suum transferret. Adde quod poetae, qui carmina consolatoria componebant, quamquam praeceptis rhetoricis bene imbuti erant, tamen ius potestatemque habebant argumentis sua sponte ac voluntate utendi; conferas quod dixit Seneca in epist. 64, 8: *animi remedia inventa sunt ab antiquis, quomodo autem admoveantur aut quando, nostri operis est quaerere* [2]).

In describendo autem Liviae dolore poetam cum Seneca non consentire videbis, si carminis versus 417—426 comparaveris cum consolatione, quam Seneca ad Marciam scripsit (c. III et IV) [3]). Nam cum Seneca Liviae constantiam laudibus efferat, epicedii scriptor Liviam una cum Druso de vita decedere voluisse atque aegre ab Augusto Tiberioque servatam esse dicit.

---

1) cf. Winand, B., vocabulorum lat. quae ad mort. spectant historia, diss. Marp. a. 1906, p. 23.

2) cf. Vollmer, Fr., Statii silvarum edit., p. 316, Lips. a. 1898.

3) cf. Wieding, l. c. p. 13 et 45.

Senecae narrationem rectam esse vel ex eo cognoscas, quod Marcia Liviam familiariter coluit (ad Marc. IV 1). Cum autem me quidem iudice verisimile non sit poetam aequalem in carmine ad Liviam ipsam misso protulisse, quae longe aliter re vera se habebant, id quoque me adducit, ut consolationem ad Livjam in ludo rhetorico tantum exercitationis causa, non ut Liviae traderetur, a discipulo quodam confectam esse censeam [1]). Itaque „cum poeta videri vult post ipsum Drusi funus Liviam consolari, fingit hoc et funeri se interfuisse simulat" [2]). Ehwaldii igitur verbis assentior, qui l. c. sub finem dicit: „Das Gewicht dieser Gründe scheint mir so groß, daß ich mich durch die aus dem Sachlichen entnommenen Beweise Skutsch's, die doch alle schließlich nichts als das Geschick des Verfassers bezeugen können, die fingierte, genau gekannte Situation festzuhalten, nicht zur Annahme seines Resultates bestimmen lassen kann."

Quae cum ita sint, consolationem ad Liviam non ita multo post annum p. Chr. n. 44 scriptam esse existimo; nam consolationem ad Polybium [3]), quam poetam cognovisse pro certo habeo, Seneca scripsit anno p. Chr. n. 43 vel 44 [4]). Fortasse igitur epicedion primis Claudii imperatoris annis confectum est. Utique post Neronis mortem et Iuliae Claudiaeque gentis exitum nemini in mentem venire poterat carmen in mortem Drusi componere [5]).

Pergamus vero ad elegias in Maecenatis mortem scriptas, quas duas esse iam Scaliger recte animadvertit. Alterum carmen est epicedion Maecenatis, alterum continet ultima verba Mae-

---

1) cf. Schantz, l. c. p. 12. — Buecheler, Fr., in „philolog. Kritik", p. 22, Bonnae a. 1878.

2) Haupt, l. c. p. 337 et 338.

3) Qua de consolatione, quam Senecae esse Bureschius l. c. iniuria negat, cf. W. Isleib, de Senecae dialogo XI, diss. Marp. a. 1906.

4) cf. Fr. Buecheler, Coniectanea (in mus. Rh. tom. 37, a. 1882), p. 327. — M. Schanz, hist. litt. rom. II 2, p. 299, Monaci a. 1901². — W. S. Teuffel, eodem tit., ed. VI. cur. Kroll et Skutsch, Lips. a. 1910, paragr. 289, 4.

5) cf. etiam O. Schantz, l. c. p. 11 et 12.

cenatis moribundi. Codices [1]) has elegias Vergilio adscribunt. Quod falsum esse facile intelleges si reputaveris Vergilium iam anno a. Chr. n. 19 mortuum esse, Maecenatem autem anno a. Chr. n. 8 de vita decessisse [2]). Simili modo quo epicedion Drusi elegias imitationibus Ovidii Vergilii Tibulli Properti confertas esse Lillge [3]) demonstravit. Sed earum scriptorem ex Ovidii quoque tristibus et ex Ponto epistulis pendere magna horum versuum similitudine comprobatur:

trist. I 1, 8: candida nec nigra cornua fronte geras.
cf. eleg. I 116: si quorum in torva cornua fronte rigent.
trist. III 5, 1: usus amicitiae tecum mihi parvus ... fuit.
cf. eleg. I 9: nec mihi, Maecenas, tecum fuit usus amici.
ex Ponto II 3, 38: quodque sit infelix, desinere esse tuum.
cf. eleg. II 20: nec tibi qui moritur desinit esse tuus.
ex Ponto III 4, 103: ... gemmis radientur et auro.
cf. eleg. I 63: ... gemmis ornatus et auro.

Iam vero initio prioris elegiae poeta dicit se modo mortem iuvenis alicuius carmine deflevisse. Quem iuvenem Drusum esse nobis prodit alterius elegiae versus 4, qui sine dubio sic legendus est:

augustam Drusi non cecidisse fidem [4]).

Cum autem consolatio de ipso Druso ad Liviam tradita sit, non dubito quin primum audienti verisimile videatur scriptorem elegiarum atque consolationis ad Liviam esse eundem. Et rationem quandam inter epicedion Drusi et elegias in Maecenatem re vera intercedere vel ex eo cognoscitur, quod eadem verba *Caesaris illud opus* leguntur in consolationis versu 39 et in elegiae alterius versu 6. Verum tamen Birtii [5]) sententiam amplector, qui postquam rem metricam non eandem esse in elegiis et in Drusi epicedio demonstravit carmina ad eundem

1) cf. Vollmer, Fr., append. Verg. (poet. lat. min. I), p. 18 sq., Lips. a. 1910. — Idem, Acta academ. Bavar., a. 1908, libell. XI. — Idem, act. academ. Bavar. a. 1907, III p. 339 sqq.

2) Vahlen, Joh., Herm. 33, p. 245 sq.

3) Lillge, Fr., de elegiis in Maec. quaest., Vratisl. a. 1901.

4) cf. quae postea dicam de hoc versu, p. 69 sqq.

5) Birt, Th., ad hist. hex. latini symb., p. 66, Bonnae a. 1876.

poetam non referenda esse existimet. Accedit quod consolationis ars poetica est multo elatior quam elegiarum. Nunc vero quaeritur quomodo similitudines illae apertissimae explicandae sint. Birtius quidem l. c. doctum aliquem poetam Maecenatianorum lectione incitatum elegos, quos desideraret, de Druso substituisse dicit. Mihi autem res contraria videtur esse: elegiarum scriptor consolationem ad Liviam, quam casu invenit, imitandam sibi proposuit eamque cum sine poetae nomine circumferretur arrogavit. Ementitur igitur poeta non modo consolationem ad Liviam se composuisse, sed etiam Lollio auctore elegiam priorem se scripsisse. Idem sentit de Lollio Ehwaldius, cuius verba l. c. haec sunt: „Die Nennung des Lollius *(Illius* der codd. Monac. und des Vossianus ist nichts als Interpolation) gibt dem Ganzen allerdings individuelle Färbung, aber der ganze v. 10 *(Lollius hoc ergo conciliavit opus)* scheint mir lediglich zu dem Zweck eingesetzt zu sein, um die Abfassung des Gedichtes zu motivieren und den Verfasser legitimieren zu sollen. Weshalb gerade Lollius erwähnt wird, kann auch Skutsch nur durch die Annahme erklären, daß er „jedenfalls auch wohl zu Mäcenas in Beziehungen gestanden haben wird".

Notum quidem est Senecam in epistula 114 opprobria iecisse in Maecenatem. Poeta ipsius Senecae opprobria refellere visus est viris doctis Hauptio, Birtio aliisque. Contradixit Skutschius. Et Skutschio quidem concedo in priore in Maecenatem elegia non satis refelli ea quae Seneca Maecenati obiecerit. Nam non nisi quod attinet ad vestem poeta Maecenatem defendit contra Senecam, cum cetera crimina multo graviora silentio praetereat. Attamen his quidem concessis non impedimur, ne cum Hauptio credamus poetam illam quam Graeci vocant ἀφορμὴν sumpsisse ex Senecae epistula modo allata, „in qua epistula Seneca Maecenatem narrat cum aliis in rebus mollem tum discinctum fuisse et solutis tunicis in urbe semper incessisse, oratione autem aeque soluta quam ipse discinctus fuerit usum esse. Hinc ille poeta petiit versiculos istos:

quod discinctus eras, animo quoque, carpitur unum.

et: *livide, quid tandem tunicae nocuere solutae?*
aut tibi ventosi quid nocuere sinus?

Itaque cum dicit illud quod supra commemoravi:

omnia cum posses tanto tam carus amico
te sensit nemo posse nocere tamen,

etsi vulgarem sententiam sine alius scriptoris imitatione proponere potuit, tamen non videtur casu factum esse ut haec quoque cum Senecae illa epistula conveniant. Seneca enim: *maxima,* inquit, *laus illi tribuitur mansuetudinis: pepercit gladio, sanguine abstinuit, nec ulla alia re quid posset quam licentia ostendit"* [1]). Quam ad sententiam Birtius quoque accedit, cuius verba sunt haec: „At enim acri studio pugnat contra Senecam ita ut quasi lemmata verba illius repetat refutandi gratia. Hac una de causa ad Minervam et Apollinem poesinque Maecenatis statim adnectit:

quod discinctus eras; nam id prope carpitur unum:

quoniam etiam philosophus in sermone Maecenatis iudicando (ad quod iudicium confer verba in quibus Maecenas cogitatur eleg. I v. 68: *Et tibi consulto verba fuere nova!)* eum dixerat discinctum moribus. Item in v. 25 *(livide, quid tandem tunicae nocuere solutae)* ipsum Senecam adpellare videtur, apud quem haec sunt: *qui solutis tunicis in urbe semper incesserit.* Item vv. 39 sqq. opponuntur iis quae de Maecenate qualis fuerit belli temporibus exhibet philosophus" [2]).

Qui viri docti hac de re recte iudicavisse mihi quidem videntur. Sane apud alios quoque scriptores Maecenatis mores dissoluti commemorantur [3]). Sed omnes hi loci minime idonei videntur esse qui poetam ad hoc carmen componendum incitaverint. Num igitur poeta illis ex locis harum rerum scientiam petiverit dubito.

Sed alia accedunt quae reputemus. Maecenatem in pugna Actiaca adfuisse quod celebratur in eleg. I 45, testis est etiam Horatius in epod. I, 1 sqq. Itaque hac de re etiam apud historicos posteriores constare debebat. Unde rem sibi sumpsisse potest poeta.

Praeterea *o finale* in elegiis in Maecenatem „non invenitur correptum nisi in hoc *puto* (eleg. I 60; 66), cui scilicet inde ab

---

1) sic Hauptius l. c. p. 349.
2) Birt, l. c. p. 67.
3) cf. Prosopogr. imperii Rom. tom. II (a. 1897), p. 317, s. v. „Maecenas".

antiquissima aetate licuit esse pyrrichiaco. at hercule producuntur *ergo* (I 10; 114), *porro* (II 30), *nemo* (I 16), *ero* (II 18; 21), *librato* (I 142)" [1]). Sed haec *o finalis* quantitas optime quadrat ad Neronis aetatem. Neque enim „a Calpurnio quidquam in *o finali* admissum, quod Vergilio improbaretur. porro Petronius *o* cum saepe producat, non corripit extra iambica nisi in his quae sunt *homuncio* (c. 34 sub fin.)[2]), *Curio* (c. 124, v. 289)" [3]). Iniuria igitur Skutschius l. c. hac re Augusteam aetatem indicari contendit. An dubitari potest, quin Calpurnius et Petronius in Neronis aetatem incidant? Ecce nonnullos versus ex Calpurnii atque Petronii carminibus adscribo, ubi *o finale* productum nobis occurrit:

Calp. ecl. I 34 sq.:
haec populis ventura cano: iuvat arbore sacra
laeta patefactis incidere carmina fatis.

ib. II 23: irrita sint moneo: satis hoc mercedis habeto.

ib. III 94: ipse procul stabo vel acuta carice tectus.

ib. IV 73: incipe, nam faveo.

ib. V 9: hos tibi do senior iuveni pater.

ib. V 78 sq.:
providus (hoc moneo) viventia sulphura tecum
et scillae caput et virosa bitumina portes.

Petron. sat. c. 14, 2:
ergo iudicium nihil est nisi publica merces.

ib. c. 34 sub fin.: ergo vivamus, dum licet esse bene.

ib. c. 123, v. 193: tum vero male fida prius vestigia lusit.

ib. c. 123, v. 216 sq.:
. . . ergo pulsata tumultu
pectora perque duas scinduntur territa causas.

ib. c. 124, v. 245:
ergo tanta lues divum quoque numina vicit.

ib. c. 124, v. 290:
quid porro tu, dive, tuis cunctaris in armis.

---

1) L. Mueller, de re metr., Petrop. et Lips. a. 1894², p. 35 sq.

2) Fr. Buecheler, Petron. editio, Berolini a. 1904⁴.

3) L. Mueller, l. c. p 416.

ib. frg. XXXIV 1:
si Phoebi soror es, mando tibi, Delia, causam.
ib. frg. XXXVIII 8 sq.:
omne iter impedio, nullum iter expedio.
nunc propero, nunc ire piget, rursumque redire
paenitet.

Denique accedunt etiam carmina Einsidlensia eiusdem aetatis, anthol. lat. (ed. Riese) 725, 726, quae ne ipsa quidem illud *o* umquam correptum offerunt; cf. 725, 25; 726, 4; 11; 21. Itaque hoc quoque Skutschianum argumentum prorsus labefactatum est.

Nuperrime vero Paulus Lunderstedt[1]) ostendere conatus est atque probabiliter exposuit scripta Maecenatis tunc cum Seneca tam acerbos impetus in Maecenatem fecit, quasi nova fuisse ita, ut omnium, qui litterarum studiosi fuerant, animi in ea converterentur. Quae coniectura „maxime confirmatur, si reliquos auctores consideramus, qui de Maecenatis scriptis aliquid memoriae tradiderunt. Omnes enim aliorum auctorum loci, quibus aliquid de Maecenatis libris proditum est, ad illam extremis Senecae annis proximam aetatem referendi sunt, sive ipsi tunc temporis scripti sunt sive profecti sunt a libris tum compositis“ [2]). Si hoc rectum esse concedimus — neque quicquam, quantum video, iure contradici potest — eo facilius adducimur, ut Senecae castigationes ansam dedisse poetae credamus ad versus in Maecenatem componendos.

Aliud autem argumentum Skutschius l. c. affert, ut Senecam elegiarum scriptori carminis materiam dedisse neget. „Jemand“, inquit, „der in der Rhetorenschule später Zeit den Mäcen hätte feiern wollen, würde in erster Linie das hervorgehoben haben, wovon die Elegieen kein Wort sagen, nämlich was er für die großen Dichter seines Zeitalters gewesen ist“. Ego vero: ex ipso carmine nos discere oportet poetam id omnino non agere, ut Maecenatem celebret; immo illum defendere vult contra ea, quae Seneca ei obiecerat in epistula 114. Omisit vero poeta cetera opprobria a Seneca dicta propterea quod inexsuperabilibus

1) P. Lunderstedt, de C. Maecenatis fragmentis (Commentationes philol. Jen. vol. IX 1), Lips. a. 1911, p. 6—18.

2) Lunderstedt, l. c. p. 9.

vim afferre non ausus est. Et dubitare licet num quisquam hoc munus suscipere potuerit.

Atque his quidem praemissis propius accedamus ad rem et convertamus nos ad incerti horum elegorum auctoris genus dicendi. Praemonendum vero est me in carmina coniecturas non inlaturum esse; nam ne dicam hoc non esse adulescentis, qui primum in litterarum harenam descendit, propterea lectiones traditas, quantum fieri potest, servare officium meum esse puto, quod neque scimus quando neque a quo poeta haec carmina sint composita. Itaque semper quaenam lectio tradita sit quaeram atque non nisi gravissimae causae me impellent, ut a codicum lectionibus discedam. Ita autem rem agam, ut per singulos versus illas elegias diligenter pertractem et illustrem cum ea quae aliis quoque locis apud poetas latinos inveni tum ea hic quae solum exstant. Exempla adnotabo, quibus quisque locus defenditur aut reicitur.

Quod ut perficerem ipse perlegi totum Ovidium, Vergilium, Catullum, Propertium, Tibullum; praeterea appendicem Vergilianam, Calpurnii eclogas, consolationem ad Liviam. Accedunt haec carmina minora: Nux elegia, laus ad Pisonem, carmina Einsidlensia.

Quod attinet ad editiones, omnes, quod sciam, inspexi [1]. Sunt enim hae:

Burmann, P., anthologia poet. latinorum, Amstelaed. a. 1759, tom. I, lib. II p. 251 sqq.

Wernsdorf, Chr., poetae lat. minores, Altenburgiae a. 1782, tom. III p. 155 sqq.

Pedonis Albinovani elegiae III cum notis variorum editae, Amstelaed. a. 1703.

Meyer, H., antholog. veter. lat. epigramm. et poematum; edit. Burm. dig. et auxit, Lips. a. 1835, tom. I nr. 109.

Ribbeck, O., appendix Vergiliana, Lips. a. 1868, p. 193—204.

Baehrens, Aem., poet. lat. minores, Lips. a. 1879, tom. I p. 122 sqq.

---

1) Ut R. Ellisii disputationem „The elegiae in Maecenatem“, Lond. a. 1907, inspicerem mihi non contigit.

F. Buecheler - A. Riese, anthologia latina, pars I fascic. 2, iterum recogn. A. Riese, Lips. a. 1906, p. 235 sqq.

Ellis, R., appendix Vergiliana, Oxonii a. 1907.

Vollmer, Fr., poet. lat. minores, it. recensuit, vol. I append. Vergiliana, Lips. a. 1910, p. 145 sqq.

Praecipue secutus sum Vollmeri editionem.

Libros vero, qui ad ea quae scripsi componenda non ita parvo commodo fuerunt, hos enumero:

Hand, Ferd., tursellinus, 4 voll., Lips. a. 1829 sqq.

Kühner, R., Ausführliche Grammatik der latein. Sprache, 2 voll., Hannov. a. 1877.

Draeger, A., historische Syntax der latein. Sprache, 2 voll., Lips. a. 1878—1881^2.

J. H. Schmalz - G. Landgraf, latein. Synt. nach den Vorles. über lat. Sprachwissensch. v. Chr. K. Reisig, Berol. a. 1888.

Fr. Stolz - J. H. Schmalz, latein. Grammatik, Monachi a. 1900^3 (Jw. Muell. Handb. II, 2).

Corradini, Fr., lexicon totius Latinitatis, 4 voll., Patavii a. 1864 sqq.

Thesauri linguae latinae ea volumina quae edita sunt.

Sequitur commentarius.

Elegia in Maecenatem I.

3 et 4. Ut iuvenis deflendus enim tam candidus et tam
longius annoso vivere dignus avo.

Sic me iudice hi versus sunt legendi cum plerisque editoribus recentioribus. *Enim* praebent optimi codices. *tam* post *candidus et* videtur esse recta lectio quae nititur codice V et editione Aldina, ex qua Scaliger primus protulit. *Jam* et *tam* in codicibus saepe confunduntur. *Jam* minime ad sensum quadrat.

enim] particula quarto versus loco posita est. In prosa quidem oratione particula *enim* quartum sententiae locum non tenet nisi voces breves plerumque monosyllabae, quae arte inter se coniunctae sunt, antecedunt [1]). Maiore libertate utuntur poetae. Attamen Catullus *enim* semper secundo sententiae loco exhibet. Saepius occurrit haec particula tertio versus loco posita. cf. hos locos: Ov. met. III 262; Verg. Aen. I 19; II 100; II 164; VI 317; VII 645; X 874; Ov. trist. IV 6, 26; ex Ponto IV 5, 13; IV 11, 3; fast. I 21.

Nonnullos quoque locos apud Vergilium et Ovidium inveni, quibus *enim* quartum vel quintum versus locum obtinet. Sunt hi:

Verg. Aen. V 850:

Aenean credam (quid enim) fallacibus auris
et caelo, totiens deceptus fraude sereni.

1) cf. Draeger, l. c. II p. 165 sq.

Sed hoc loco illa verba *quid enim* uncis includenda et in parenthesi ponenda sunt. Huc pertinent hi quoque Ovidii versus: met. IV 653; 704; VII 167; XIII 494. Aliter res se habet his in versibus:

Verg. Aen. VIII 84:

quam pius Aeneas tibi enim, tibi maxima Juno.

Prop. III 16, 19:

sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis
improbus?

Hic illud *enim* non iam significat „denn" vel „nämlich", sed eam significationem habet, in qua natum est (i. e. „ursprünglich", cf. Gell. XIII 29 in.), quae significatio servata est in *enimvero,* vernacule dicas „wahrlich", „fürwahr". Conferas quaeso hos quoque locos: Verg. georg. II 509; Ov. met. XV 581. Itaque hi versus omnino non huc pertinent, ubi de voculae *enim* significatione quae est „nämlich" vel „denn" agitur. Ex nostra quidem lingua comparari potest vocula „ja", quae et affirmativam et causalem significationem habet. Item hoc in versu:

Verg. Aen. VI 28:

magnum reginae sed enim miseratus amorem

verba *sed enim* non separanda sunt; significant autem: „aber freilich", „aber allerdings" vel „wirklich aber". cf. Verg. Aen. I 19; ib. II 164. Exemplum vero, ubi ut hic in elegiae in Maecenatem versu 3 particula *enim* simplici significatione „denn" quartum versus locum tenet, omnino non habeo.

Deinde hoc in versu offendit collocatio alterius particulae *tam,* quae referenda est ad *dignus.* Sane non ita raro adverbium ab adiectivo separatur atque saepe ipsa adverbia *tam* et *quam* ab adiectivo disiunguntur. Huius usus exempla inveniuntur apud Plautum, Terentium, Ciceronem aliosque[1]). Sed exemplum, ubi tot verba inter adverbium et adiectivum posita disiunctionem efficiunt, apud poetas Augusteae quidem aetatis indagare non potui.

Accedit quod in versu 4 occurrit infinitivus activi pendens ab adiectivo *dignus* personaliter dicto. Exspectamus *qui* cum

1) cf. Stolz et Schmalz, l. c. p. 464.

coniunctivo coniunctum. Nudus infinitivus passivi pendens ab adiectivo *dignus* personaliter dicto apud poetas classicos quos nominamus, saepe invenitur; cuius rei nonnulla exempla affero:

Verg. ecl. V 54: et puer ipse fuit cantari dignus.

ibid. V 89: . . . et erat tunc dignus amari.

Ov. trist. II 242: . . . nec a tanto principe digna legi.

Rarius invenitur infinitivus generis activi, praesertim si infinitivus adiunctionibus ut in hoc elegiae versu amplificatus est[1]). Attamen hos locos velim conferas:

Catull. 68, 131:
aut nihil aut paulo cui tum concedere digna
lux mea se nostrum contulit in gremium.

Ov. met. X 633: vivere dignus erat.

trist. V 10, 51 sq.: . . . ipsam quoque perdere vitam,
Caesaris offenso numine, dignus eram.

trist. III 4, 33 sq.:
nam pede inoffenso spatium decurrere vitae
dignus es et fato candidiore frui.

ex Ponto II 6, 30: dignus es in tantis nomen habere viris.

Ciris 104: quarum non ulli fama concedere digna
stat Megara eqs.

cons. ad Liv. 62:
res hominum ex tuto cernere dignus erat.

ibid. v. 127 sq.:
sicine dignus eras oculis occurrere nostris?
sic ego te reducem digna videre fui?

Ceterum Maehlio[2]) assentiri non possum, qui ad hunc elegiae in Maecenatem locum adnotat: „Miror fugisse interpretes inter vv. 4 et 5 lacunam esse duorum saltem versuum hac fere sententia explendam: sic senex quoque exactis quidem annis sed

---

1) cf. Draeger, l. c. II p. 331.

2) Maehly, J., in programmate Basil. a. 1873, p. 14 sqq.

iisdem rerum gestarum copia plenissimis cantu lugubri est dignus. Hanc apodosin et sententia flagitat et grammatica, quippe *ut* particula quae protasin inchoat vix haberet quo referretur omissa illa apodosi". Ego sententiae defectum statuere nequeo. Sensus vero hic fere est: senex — tam candidus et tam dignus longius vivere annoso avo — eodem modo est deflendus quo iuvenis.

---

5 et 6. inreligata ratis numquam defessa carina
et redit in vastos semper onusta lacus.

et] quod codices praebent, retinendum puto cum Vollmero, qui primus hanc codicum lectionem in textum recepit; ceteri omnes editores scribunt *it,* quod non nititur nisi editione Ascens. anni 1507. Quod vero idem vir doctus verba inde a *numquam* usque ad *lacus* in parenthesi ponit probare non possum; nam eiusmodi parenthesis tolerari non potest. Immo constructio haec est: inreligata carina (nom.) ratis (gen.) numquam defessa (sc. est) et semper onusta redit in vastos lacus. Vocula *est* omissa est[1]).

inreligata] i. e. numquam cymba Charontis ad ripam religatur, numquam interquiescit, sed semper umbris onusta inferos fluvios traicit.

Quod attinet ad *vastos* lacus, mihi recte dixisse videtur Gorallus ad hunc versum: „vastos i. e. amplos aut desertos, quod nemo illic sit praeter umbras". De hac *vastus* adiectivi significatione hos locos velim conferas:

Catull. 63, 48: ibi maria vasta visens lacrimantibus oculis.

Ov. met. X 30:
per Chaos hoc ingens vastique silentia regni.

Verg. Aen. VI 296 sq.:
turbidus hic caeno vastaque voragine gurges
aestuat atque omnem Cocyto eructat harenam.

---

1) cf. quae de ellipsi verbi *esse* in sententiis generaliter dictis affert Th. Winter, de ellipsi verbi *esse,* diss. Marp. a. 1907, p. 29.

Tibull. III 3, 37 sq.:

me vocet in vastos amnes nigramque paludem
ditis ab ignava luridus Orcus aqua.

lacus] qui sunt apud inferos. cf. Propert. II 28, 40; Verg. Aen. VI 134.

---

8. non oblita tamen sed repetitque senes.

Omnes codices haec praebent. Ribbeckius scripsit: *non oblita tamen sero petitque senes.* Paulo aliter Riese: *Non oblita tamen sera petitque senes.* Baehrensius mutavit: *non oblita tamen sed petit ecce senes.* Sed cum omnes hae coniecturae minime mihi arrideant, cum Ellisio et Vollmero retinendum censeo quod codices exhibent.

repetere] hoc loco significat ut saepius: „das fordern, was mir zusteht“: quod meum est peto. De hac verbi *repetere* significatione conferendi sunt hi loci:

Hor. ep. I 3, 18:

ne, si forte suas repetitum venerit olim
grex avium plumas, moveat cornicula risum.

Plaut. trinum. v. 1131:

quod datum utendumst id repetundi copiast quando velit.

Senec. Herc. fur. 570 sq.:

Immites potuit flectere cantibus
umbrarum dominos et prece supplici
Orpheus, Eurydicen dum repetit suam.

Quae cum ita sint, illud *que* in *repetitque* nihil aliud significare potest nisi *quoque* vel *etiam* = „auch“. *Que* autem hoc sensu in prosa quidem oratione non invenitur nisi in adverbio *hodieque* = „auch heute noch“. Sed post Augusti demum tempora *hodieque* coepit usurpari neque ante Velleium [1]). Hos locos velim conferas:

Vell. I 4,2: Viris autem veteres earum urbium hodieque magnitudo ostentat moenium.

---

1) cf. Hand, l. c. III p. 100, s. v. *hodieque*. — Draeger, l. c. II p. 46. Stolz et Schmalz, l. c. p. 342, adnot.

Senec. de clem. I 10,2: haec hodieque praestat illi famam quae vix vivis principibus servit.

Plin. nat. hist. VIII 176: praegrandes itaque fuere et hodieque reliquiae stirpium durant.

Apud poetas quidem *que* pro *quoque* non occurrit; nam valde dubitare licet, num his duobus locis *que* loco *quoque* positum sit [1]):

Prop. III 1, 35: meque inter seros laudabit Roma nepotes.

Cat. 102, 3: meque esse invenies illorum iure sacratum.

tamen sed] bonus quidem poeta impedivisset, ne illae duae coniunctiones *tamen* et *sed* hoc ordine qui est *tamen sed* concurrerent. Senserunt hoc ipsum Wernsdorfius et Burmannus, qui contra codicum auctoritatem coniunctionum ordinem immutaverunt. Sed illos recte fecisse nego: ipse scriptor peccavit, quamvis solus; hanc enim coniunctionum *tamen* et *sed* collocationem exemplis comprobare nequeo. *Sed tamen* initio versus apud Ovidium saepissime occurrit. Tres vero versus afferre possum, ubi *sed tamen* audacter positum est medio in versu:

Ov. epist. XVI 184: nescio quo tardor sed tamen ipsa metu.
ib. amor. I 5, 14: pugnabat tunica sed tamen illa tegi.
ib. her. XI 106: amissae memores sed tamen este mei.

---

10. Lollius hoc ergo conciliavit opus.

ergo] sic codices. Riesei emendationem, qui pro *ergo* scripsit *aegro,* non probo. *ergo* coniunctio hoc in versu significare mihi videtur *ea de causa,* quod est germanice „deshalb, aus diesem Grunde". Non ita saepe hac significatione occurrit [2]). Duo exempla affero:

Plaut. pseud. 1084:
SI. pol hau mentitust. BA. Ergo haud iratus fui.

Verg. ecl. V 58 sq.:
ergo alacris silvas et cetera rura voluptas
Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.

---

1) Aliter sentiunt: M. Rothstein, Prop. edit., adnot. ad III 1, 35. Stolz et Schmalz, l. c. p. 342 adn.

2) cf. Draeger, l. c. II p. 174 sq.

Curtius Rufus quidem hanc coniunctionem significatione „deshalb" amavisse videtur; nam saepius apud illum invenitur: cf.

III 5, 14: ergo pro se quisque precari coepere eqs.

III 8, 16: motis ergo castris superat Pinarum amnem.

Porro: III 8, 25; V 2, 20; V 3, 8; V 6, 7.

conciliavit] hic absolute positum est dativo non adiecto. cf.

Plaut. Most. 1127: qui a patre eiius conciliarem pacem.

Nep. Epam. V 3: otii enim nomine servitutem concilias.

Plin. nat. hist. 29, 24: invehi peregrinas merces conciliarique externa pretia displicuisse maioribus crediderim equidem.

---

11. fidus erat vobis nam propter Caesaris arma.

fidus] codices praebent; significat idem quod *foedus* = „Bündnis". Huius significationis exemplum sane non habeo, nec nisi hoc loco *fidus* pro *foedus* stare videtur. Sed apud Varronem quidem, de lingua latina V 86 hoc testimonium inveni: *Fetiales, quod fidei publicae inter populos praeerant; nam per hos fiebat, ut iustum conciperetur bellum, et †ubi desitum, ut foedere fides pacis constitueretur. Ex his mittebantur, antequam conciperetur, qui res repeterent, et per hos etiam nunc fit foedus quod Fidus Ennius scribit dictum* [1]).

nam] particula quarto et versus et sententiae loco posita. Semper fere *nam* primum sententiae locum tenet, nisi particulis interrogativis enclitico more adicitur [2]) (cf. *quisnam, ubinam*). Nonnulli tantum poetae Augusteae aetatis ab usitata huius particulae collocatione recedunt, atque id quidem non ita saepe. Fit autem plerumque, si vel accentus vel res metrica flagitat. Saepius occurrit *nam* secundo sententiae loco positum, cf.

Verg. Aen. I 731:

Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur.

Praeterea ib. III 379; IV 421, ut alia praetermittam. Rarius tertium sententiae locum tenet. Hos versus afferre possum:

---

1) cf. etiam Vahlen, Joh., Enn. poesis rel. it. rec., Lips. a. 1903, p. 238, adn. ad v. 48.

2) cf. Draeger, l. c. II p. 154.

Verg. Aen. IX 803: ... aëriam caelo nam Iuppiter Irim
demisit eqs.

ib. eclog. IX 39: ... quis est nam ludus in undis?

Ov. met. IX 669:
proxima Gnosiaco nam quondam Phaestia regno.

Versum vero ubi ut hic *nam* quartum versus et sententiae locum tenet, nullum inveni.

propter] est praepositio, quae in prosa oratione praecipue nobis occurrit et a bonis quidem poetis raro adhibita esse videtur illis quidem locis exceptis, ubi *propter* localem significationem habet. Ubi autem nobis occurrit, metri necessitas poetas excusat. cf. hos versus, in quibus *propter* significat „wegen“:

Aen. XII 177: quam propter tantos potui perferre labores.

ib. IV 320; Ovid. met. IX 437; trist. II 375; ex Ponto IV 14, 15; fast. VI 762; Prop. II 8, 35; ib. II 9, 25; Tibull. I 6, 57 et 65; ib. I 7, 25. In hac autem elegia, quae 144 tantum versus complectitur, praepositio *propter* causali significatione quattuor versibus occurrit. Sunt hi:

v. 11 sq.: fidus erat vobis nam propter Caesaris arma
Caesaris et similem propter in arma fidem.

v. 75 sq.: percussit crebros te propter Lydia nodos
te propter dura stamina rupta manu.

---

12. Caesaris et similem propter in arma fidem.

propter in] duarum praepositionum concursus. „Die Freiheit, eine Präposition unmittelbar auf eine andere folgen zu lassen, haben sich, abgesehen vom Datum und dem adverbiellen Gebrauch der Präposition z. B. *in ante factis*, sowie von Titeln, z. B. *a pro consule*, zuerst die Juristen erlaubt, z. B. Gaius (*in per vindicationem legato*), Ulpian, Papinian etc., dann auch einige Spätlateiner, z. B. Boëthius“[1]).

1) cf. Stolz et Schmalz, l. c. p. 279, 4.

fides in aliquid] aliis quoque locis invenitur. cf.

Cic. pro Rub. Postumo XIII: quorum agitur fides in hunc ordinem.

Cic. pro Sulla, 58: cuius pater . . . singulari exstiterit in rem publicam nostram . . . fide.

---

13. regis eras, Etrusce, genus; tu Caesaris almi.

genus] Lillge[1]) adnotat: „vox quae est *genus*, ea significatione, quam habet *proles* aut *progenies*, non nisi in elato sermone adhibetur idque plerumque de deis aut deorum progenie aut heroibus. De homine autem, hominum prole, rarissime *genus* dicitur, qui vocis usus antiquitatem et gravitatem sapit. Vergilius *genus* dicit de Caesare Augusto, quod dei, Caesaris, filius est".

almi] sic codices. *almus* de diis dicitur iisque praecipue, qui vitam victumque dare hominibus creduntur, quales sunt Ceres, Venus, Musae (studiorum altrices); item de tellure, de luce ac die, de fide etc. Nonnulla exempla afferre mihi liceat:

Ovid. met. XIII 759: est, Venus alma, tui.

ib. II 272: alma tamen Tellus eqs.

ib. V 444: rursus ubi alma dies hebetarat sidera.

ib. XV 664: . . . somnique fugam lux alma secuta est.

Hor. carm. III 4,42: gaudetis almae (sc. Musae).

Verg. georg. I 7:

Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus eqs.

Tib. I 10, 67: at nobis, Pax alma, veni spicamque teneto.

ex Ponto I 2, 100: alma nihil maius Caesare terra ferat.

Propert. IV 9, 51: talibus Alcides, at talibus alma sacerdos[2]).
Ut hoc in versu de sacerdote sic apud Vergilium *almus* insolenter dictum est de Sibylla: Verg. Aen. VI 64 et 117. Sed ne

---

1) Lillge, l. c. p. 19. cf. etiam exempla ab eodem collata.

2) cf. Rothstein, Propert. ed., adnot. ad hunc versum.

unum quidem exemplum indagare potui, ubi ut hic *almus* de Caesare dicitur. Dignissima vero et perpetua fere Caesaris epitheta sunt *altus* et *magnus*. Hos locos velim conferas:

consol. ad Liv. 453:

hoc domus ista docet per te mea Caesaris alti.

Hor. carm. III 4, 37:

vos Caesarem altum, militia simul eqs.

Ov. ex Ponto II 3, 63:

quique dolor pectus tetigisset Caesaris alti.

Saepius occurrit *magnus* epitheton. cf. eleg. in Maec. II 6; Catull. XI 10; Prop. II 1, 26; ib. II 31, 2; Ov. fast. IV 124; trist. I 2, 3; ib. IV 1, 54; ex Ponto I 8, 24; fast. IV 859; consol. ad Liv. v. 72; Verg. georg. IV 560.

---

14. . . . Romanae tu vigil urbis eras.

Romanae urbis] pro *Romae* positum est. Apud Ovidium quoque *Romana urbs* pro *Roma* inveni. Hi loci conferendi sunt:

Ovid. met. XIV 849: . . . Romanae conditor urbis.

Praeterea: met. XV 736; fast. III 24; fast. II 684; fast. VI 683.

---

16. te sensit nemo posse nocere tamen.

posse] sic omnibus codicibus traditum est, non *velle*, quod Baehrensius in textum recepit. Lectionem *posse* bene defendit Wernsdorfius l. c., cuius verba exscribere mihi liceat: „Neque enim ea mens poetae est, ut dicat Maecenatem potuisse nocere nec tamen voluisse, sed Maecenatem potuisse quidem omnia propter Caesaris amicitiam, nec vero potentia sua abusum ad nocendum. Itaque non plane similis huic sententiae, qui alias comparari solet, versus ex epicedio Drusi 47:

Nec nocuisse ulli et fortunam habuisse nocendi".

Negari quidem non potest verbum *posse* si lectionem traditam retinemus, in duobus deinceps versibus legi; nam in versu antecedente forma *posses* occurrit. Sed eius modi iteratio, quam

bonus quidem poeta evitat, hac in elegia saepius invenitur: cf. v. 67 sqq.:

mollius es solito mecum tum multa locutus
et tibi consulto verba fuere nova.
impiger Alcide, multo defuncte labore,
sic memorant curas te posuisse tuas,
sic te cum tenera multum lusisse puella.

v. 85 sq.:

vel tribus adversis communem fratribus alvum
et sex adversas solus in arma manus.

---

17 et 18. Pallade cum docta Phoebus donaverat artes
tu decus et laudes huius et huius eras.

huius et huius] pro *utriusque* positum minime poetice dictum esse mihi videtur. Apud optimos Latinitatis auctores diversa eiusdem sententiae substantiva semper fere diversis pronominibus demonstrativis exprimuntur. Itaque *hic et hic* est imitatio sermonis communis. Qui usus loquendi a Cornificii temporibus in usu versari coepit atque apud Ciceronem quidem non nisi in eo libro, qui *de inventione* inscribitur, invenitur [1].

cf. Cornif. ad. Herenn. II 40: hoc aut hoc fecissem.

Cic. de invent. I 99: cum vobis hoc et hoc sit demonstratum. Qui usus dicendi necessitudinem aliquam habet cum illo, ex quo in membris geminatis non ita raro *hic* . . . *hic* pro *hic* . . . *ille* adhibetur. Huius rei haec exempla habeo:

Verg. Aen. VII 506:

improvisi adsunt, hic torre armatus obusto,
stipitis hic gravidi nodis.

Aen. I 106 sq.:

hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens
terram inter fluctus aperit.

Hor. ep. I 17, 39 sqq.:

. . hic onus horret
ut parvis animis et parvo corpore maius:
hic subit et perfert.

---

1) cf. E. Woelfflin, Archiv für Lexikogr. XII, p. 239 sqq.

Verg. Georg. IV 84sq.:

usque adeo obnixi non cedere, dum gravis aut hos
aut hos versa fuga victor dare terga subegit[1]).

Stat. silv. I 2, 221:

hic movet Ortygia, movet hic rapida agmina Nysa.

Verg. Aen. XII 510sq.:

. . . hunc venientem cuspide longa,
hunc mucrone ferit[2]).

Claud. in Ruf. II 468:

. . . hic volvit lacrimas, hic igne redundat.

huius et huius atque *illud et illud* in his quoque versibus nobis occurrunt:

Ov. Ibis 410: aequoris aspiciens huius et huius aquas.

ib. rem. am. 301: illud et illud habet nec ea contenta rapinast.

---

19 et 20. vincit vulgares, vincit beryllus harenas,
litore in extremo quas simul unda movet.

Quos versus, cum nullo vinculo cum versibus antecedentibus cohaererent, summoveri iussit Ribbeckius. At „non delendi sunt, sed coniunctione copulandi cum antecedentibus ita:

vincit volgares veluti beryllus harenas
litore in extremo quas simul unda movet.

quas enim Vossiani si simul ad beryllum refers, de versu 20 parcetur coniecturis. Igitur Minervae Apollinisque decus ita est, velut beryllus volgares harenas vincit; sciendum est enim Maecenatis sermonem a volgari toto caelo abfuisse; isque quod a Seneca epist. 114, 4sqq. castigatur, haec ipsa videlicet Senecae verba poeta respexit“ [3]).

Haec recte quidem. Potest vero stare haec quoque Riesii coniectura eodem sensu facta, quam ego in textum recipio:

sicut volgares vincit beryllus harenas.

---

1) cf. etiam Birt, Jugendv. u. Heimatpoes. Vergils, Lips. a. 1910, p. 79.

2) Lillge, l. c. p. 57 adnot. 1.

3) sic Birtius, ad hist. hex. lat. symb., p. 66sq.

beryllus] lectio recta videtur esse; nam codicum lectiones quae sunt *beritus* vel *berithus* vel *peritus* sensu carent. Editio Aldina (a. 1517) praebet *beryllus,* quam ad lectionem Birtius [1]) apte confert Macrob. sat. II 4, 12, qui Maecenatem ab Augusto quoque in epistula narrat vocatum esse: *adamas Supernas, Tiberinum margaritum, Cilniorum smaragde, berulle Porsennae.*

---

21. quod discinctus eras, animo quoque, carpitur unum.

Sic hic versus codicibus testibus legendus est neque quicquam mutandum censeo.

animo quoque] sensus videtur esse hic: non solum veste sed animo quoque discinctus eras.

discinctus animo] audacter dictum; nam aliis locis *discingere* non nisi de veste dicitur. Apparet igitur poetam ex Senecae loco profectum esse, ubi *discingere ingenium* occurrit:

Senec. epist. 92 (sub fin.): diserte Maecenas ait: *nec tumulum curo. sepelit natura relictos.* Alte cinctum putes dixisse. habuit enim ingenium et grande et virile, nisi illud secundis (rebus) discinxisset.

carpitur unum] h. e. „tamquam praecipuum vitium et prae aliis" [2]). Placebat igitur mihi id quod Birtius dixit in mus. Rhen. tom. 32 p. 397 adnot.: „Latere certus sum hoc potius: *quod discinctus eras animo, prope carpitur unum; dilutum hoc nimia simplicitate tua.* Nam *prope* et *quoque* frequenter confuderunt librarii. Atque iam clarius vides respici a poeta Senecam qui in epistula 114 Maecenatem dixerat discinctum moribus". Attamen hac mutatione, si talis est, ne opus quidem esse putaverim. Gorallus ad hunc versum dicit: „Repellit superiore disticho quod obiciebatur Maecenati de nimio lapillorum studio; sed quia id non habebat vitii loco, hoc unum carpi ait". Riesio, qui pro *animo*: *nimio* scripsit, assentiri nequeo, neque eiusdem emendationes, quae pertinent ad versum insequentem probare

1) in mus. Rhen. tom. 32, p. 397 adnot.

2) sic Wernsdorf, l. c. in adnot. ad hunc versum.

possum. Ille versus (22), si quid video, cum Birtio l. c. sic legendus est:

dilutum hoc nimia simplicitate tua.

Quae Birtii coniectura *dilutum* propius ad codicum lectiones quae sunt *diluuii* (*-uui* F, *-uuiu* H[1], *-uuiũ* AR) accedit quam quae vulgo leguntur *diluis;* sic enim scribendum esse olim putabant Oudendorpius et Baehrensius.

---

23. sic illi vixere quibus fuit aurea virgo.

quibus fuit] sensus planissimus; sed num hoc poeta satis latine scripserit dubito. Exspectamus enim *quibuscum fuit,* vernacule dicas „bei denen weilte". Nam verbum *esse* cum dativo coniunctum nihil aliud significat nisi „haben" vel „besitzen". Illius loqendi rationis ex qua verbum *esse* cum dativo coniunctum significat „weilen bei" exemplum non habeo.

---

24. quae bene praecinctos postmodo pulsa fugit.

fŭgit] vis sententiae hic requirere videtur *fūgit* praeterito tempore et priore syllaba producta. Sane apud Horatium nonnulla exempla indagavi, ubi in brevibus sententiis relativis interiectis pro praeterito tempore, quod alibi nobis occurrere solet, praesens tempus invenitur[1]), eisque hoc praesens *fŭgit* aliquantum excusatur: cf.

Horat. sat. I 2, 55 sq.:

ut quondam Marsaeus, amator Originis ille
qui patrium mimae donat fundumque laremque.

ib. I 6, 12 sq.:

contra Laevinum, Valeri genus, unde superbus
Tarquinius regno pulsus fugit.

ib. II 3, 277: Hellade percussa Marius cum praecipitat se.

ib. II 3, 60 sq.:

non magis audierit quam Fufius ebrius olim,
cum Ilionam edormit.

---

1) cf. etiam quae dicit M. Rothstein, Prop. edit., adn. ad I 9, 6.

Accedit quod *postmodo* particula haud raro cum praesenti tempore coniuncta invenitur: cf.

Ov. fast. III 272: et perit exemplo postmodo quisque suo.
ib. ars amat. II 322:
tum sere, quod plena postmodo falce metas.
ib. fast. II 53 sq.: postmodo creduntur spatio distantia longo
tempora bis quini continuasse viri.

Saepius *postmodo* occurrit coniunctum cum tempore futuro; sed exempla praetereo. Denique nostro loco praesenti *fŭgit* significari *usque fugit* fortasse recte adnotat Heindorfius [1]) exemplo allato ex Persio:

IV 1 sq.: barbatum haec crede magistrum
dicere sorbitio tollit quam dira cicutae.

---

25 et 26. livide, quid tandem tunicae nocuere solutae
aut tibi ventosi quid nocuere sinus?

aut] haec coniunctio prorsus abundat in figura rhetorica quae anaphora nominatur. Anaphorae enim „hoc summum munus est, ut particularum gratiam scriptori faciat" [2]). Sed dubitare licet num vera anaphora hoc loco statuenda sit, ad quam abundanter accedere quidem poterat copula *et* vel *que*, ubi vero alius generis particula qualis est *aut* accedit, non iam sentitur anaphora [3]). Itaque eo devenio, ut illud *aut* interpreter „oder um mich anders auszudrücken", quo de significatu cf. Kohlmann [4]) et Beck [5]).

---

28. num tibi non tutas fecit in urbe vias?

num] hanc lectionem, quae nititur codicibus Z M V praeferam lectioni *nunc* librorum SBP. Et cum Gorallo me facere

---

1) Heindorf, L. F., Hor. sat. edit., Lips. a. 1843, adn. ad sat. I 6, 13.

2) Birt, Th., de hal. Ovidio poet. falso adscriptis, Ber. a. 1878, p. 59 sqq.

3) Otto, L., de anaphora, diss. Marp. a. 1907, p. 69 sq. — Woebbeking, R., de anaph. apud poet. lat. usu, Marp. a. 1910, p. 79 sqq.

4) W. Kohlmann, de *vel* imperativo etc. diss. Marp. a. 1898, p. 75.

5) Ferd. Beck, de *vel* imperativo etc., diss. Marp. a. 1908, p. 77.

confiteor, qui ad hunc versum dicit: „multo rectior est vulgata lectio *num tibi,* ut superius distichon ostendit". Nam si *nunc tibi* in textum reciperemus, concinnitas quae sine dubio inter versus 27 et 28 exstat, deleretur. *Num* scribunt etiam Riese, Ellisius, Vollmer.

---

31. maius erat potuisse tamen nec velle triumphos.

tamen nec] haec coniunctionum *tamen* et *nec* collocatio, quam exemplis probare non possum, hoc in versu non excusatur nisi metri necessitate. Ceterum conferas versum 8, ubi eodem ordine omnino non usitato coniunctiones *tamen* et *sed* concurrunt.

---

33. maluit umbrosam quercum nymphasque cadentes.

nympha] hoc in versu metonymice usurpatum est pro *lympha* vel *aqua.* „Hands Behauptung (zu Gronov. diatr.² p. 179 Anm.): poetae dicunt *lympham,* cum aquam ipsam vel humorem vel undam intellegunt, *nympham* vero cum vel omnino vel eius praesidem deam volunt, trifft gewiß die ursprüngliche Unterscheidung; diese wird von den Dichtern aber keineswegs festgehalten"[1]. *Nympha* vero pro *aqua* positum imprimis apud Statium nobis occurrit[2], velut

Stat. silv. I 3, 37: emissas per cuncta cubilia nymphas.

ib. II 18: . . et e terris occurrit dulcis amaro
nympha mari.

ib. III 1, 100 sq.: curvi tu litoris ora
clausisti calidas gemina testudine nymphas.

cf. etiam Aetna 112 sq.:
. . . seu nympha perenni
edit humum limo furtimque obstantia mollit.

Transitum vero ad *aquae* notionem facere mihi videntur loci hi, quibus notiones deae et aquae inter se confunduntur:

---

1) sic Vollmer, Stat. silv. edit., adn. ad I 3, 37.

2) cf. Joh. Hueber, observat. de metonym. apud poet. lat. usu, diss. Regimont. a. 1866, p. 10. — O. Gross, de metonymiis sermonis lat. etc., diss. Halis a. 1911, p. 388/89.

Catull. 61, 29 sq.: nympha quos super irrigat
frigerans Aganippe.

Propert. II 32, 15 sq.: et leviter nymphis tota crepitantibus urbe
cum subito Triton ore recondit aquam.

ib. III 16, 4; III 22, 26.

Mart. VI 43, 1 sq.: dum tibi felices se indulgent, Castrice, Baiae
canaque sulphureis nympha natatur aquis[1]).

ib. 47, 1 sq.: nympha mei Stellae quae fonte domestica puro
laberis et domini gemmea tecta subis.

---

34. paucaque pomosi iugera certa soli.

certa] sic omnes codices neque est cur mutemus. *Culta* scripsit Baehrensius secutus editionem Aldinam, quod tamen non probo. Nam illud *certa* optime ad sensum quadrat; vernacule dicas „die Morgen Landes, auf die er sich verlassen kann". Iugera soli singulis annis ei fructus efferunt ita ut iis confidere possit; favor autem principum, quibus quisque honores debeat, plumis aut folio facilius moveri potest. Hic igitur fere sensus est. De adiectivi *certus* significatione, quam statuimus, hos locos velim conferas:

Hor. carm. III 16, 30: . . segetis certa fides meae.

Tib. I 9, 10: ducunt instabiles sidera certa rates.

Ov. met. II 91:

pignora certa petis? do pignera certa timendo.

Illud *culta* fortasse ex his vel his similibus versibus hunc in versum invasit:

Tib. I 1, 2: et teneat c u l t i iugera multa soli.

Mart. I 116, 2: Faenius et c u l t i iugera pulchra soli.

Ov. fast. III 192: iugeraque i n c u l t i pauca tenere soli.

Praeterea apud Martialem hos simillimos versus inveni:

Mart. epigr. I 85, 2: atque suburbani iugera pulchra soli.

ib. VI 16, 2: iugera sepositi pauca tuere soli.

---

1) cf. L. Friedlaender, Mart. edit., adnot. ad spect. l. XII 1. — Haupt, opusc. II, p. 169 adnot.

35 et 36. Pieridas Phoebumque colens in mollibus hortis
sederat argutas garrulus inter aves.

cf. Iuven. sat. VII 79: contentus fama iaceat Lucanus in hortis
marmoreis.

sederat] tempus plusquamperfectum ipsum hic omnino non quadrat ad sententiarum contextum. Exspectamus imperfectum. Haec laesa temporum consecutio non nisi metri necessitate excusari potest. Sed forsitan quispiam dixerit illud plusquamperfectum hoc loco logicum esse quod nominatur vel ut nos dicimus „imperfektisches Plusquamperfectum". Qua de re optime egit E. Hoffmannus in opusculo illo quod inscribitur „Konstruktion der lateinischen Zeitpartikeln", Vindobon. a. 1860, ubi p. 10 sqq. haec dicit: . . „ebenso muß auch offenbar das Plusquamperfektum eine doppelte Auffassung zulassen: die aoristische, wenn schlechthin ein Präteritum als seiner Zeit nach vor einem anderen liegend angegeben wird, — die logische, wenn in strikter Beziehung zu einer bestimmten Vergangenheit eine Tätigkeit als früher begonnen und nun — in der Gegenwart dieser Vergangenheit — als vollendet in ihrem Resultat vorliegend bezeichnet wird. Erhält nun das Perfectum logicum als gegenwärtiges und (zuständlich) vorliegendes Resultat einer abgeschlossenen Handlung den Sinn eines Präsens, so muß jenes logische Plusquamperfaktum in gleicher Weise ein Präsens für die Gegenwart des verglichenen Präteritums werden, d. h. also: ein Imperfektum. Kaum bedarf es der Erwähnung von Plusquamperfekten wie *consueverat, assueverat* = *solebat*. (Der Beginn des *consuescere* liegt vor einer durch den Zusammenhang gegebenen Vergangenheit; in der Gegenwart dieser Vergangenheit liegt nun das vollendete *consuevisse* als Resultat vor = *solere*.)" Exempla huius rei ex optimis latinitatis auctoribus sumpta idem Hoffmannus affert in adnotationibus p. 11 sq. Quae cum ita sint, hoc quidem loco illud *sederat* (a *sidere* derivandum) idem esse possit ac nostrum „er hatte sich gesetzt" = „er saß" *(sedebat)*. Hoc ipsum sentire videtur Vollmer, qui adeo *siderat* in textum recepit. Quam tamen interpretandi rationem rectam esse nego; etenim si admitteretur, sensus plane falsus esset. Nam poeta non id agit, ut dicat Maecenatem illud

considere absolvisse (i. e. „sei fertig mit dem Sichsetzen"), sed eum *argutas garrulus inter aves* sedere solitum esse.

---

37. marmora Maeonii vincent monumenta libelli.

Maeonii] videtur recta esse lectio, quae nititur codicibus A R V. Ellisius quoque hanc lectionem probavit. Sic autem haec verba iungenda sunt: Maeonii libelli (i. e. Homeri carmina) vincent marmora monumenta. In quibus substantivum *marmora* pro adiectivo *marmorea* positum est, quod inexpectatissimum dixeris; sed tamen similia saepius apud poetas occurrunt[1]): cf.

Prop. IV 3, 64: raptave odorato carbasa lina duci.

ib. III 9, 23 sq.:

cum tibi Romano dominas in honore secures
et liceat medio ponere iura foro.

ib. II 31, 4: inter quas Danai femina turba senis.

ib. III 20, 26: pollueritque novo sacra marita toro.

Ov. fast. III 582: ... Cameren incola turba vocat.

Maeonius vero adiectivum invenimus his quoque locis:

Ciris v. 62: sed neque Maeoniae patiuntur credere chartae.

laus ad Pis. v. 232:

Maeoniumque senem Romano provocat ore.

---

39 et 40. quid faceret? defunctus erat comes integer, idem
miles et Augusti fortiter usque pius.

Sic in omnibus codicibus hi versus leguntur atque sic distinguendi sunt.

defunctus] substantivum est pro subiecto sententiae positum; idem vero significat quod mortuus: „Der Gestorbene, Tote". Apud poetas classicos quos dicimus huius usus exemplum non inveni nisi hoc unum:

Ov. am. I 8, 108: ... saepe rogabis,
ut mea defunctae molliter ossa cubent,

---

1) cf. Rothstein, Prop. edit., adnot. ad I 1, 13. — H. Hollstein, de monobibli Properti sermone, Marp. a. 1911, p. 54.

quod tamen exemplum multo facilius est propterea quia possessivum *mea* genetivo antecedit. Itaque argentea demum latinitatis aetate atque postea *defunctus* nude absoluteque pro substantivo *mortuus* positum reperitur. Nonnulla exempla afferre mihi liceat:

Tac. annal. II 71: non hoc praecipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu.

Senec. ad Polyb. IX 2: nam si nullus defunctis sensus superest.

Plin. ep. IX 9: nam si miserorum non secus ac defunctorum obliviscuntur.

Quint. XII 10, 61: hic orator et defunctos excitabit.

Mart. VIII 57, 5:

ossa licet quondam defuncti non legat heres.

cf. porro Luc. Phars. VI 825. Sed exemplorum hic finis esto. Verborum autem ordo in pentametro tam contortus est quam potest maxime. Mea quidem sententia huius versus 40 sensus hic est: Maecenas erat semper Augusti miles et fortis et pius. Itaque vix recte hoc de versu iudicaverit Ellisius, qui sic iungendum censet: fortiter defunctus erat idem comes integer et miles Augusti. Quae interpretandi ratio nimis quaesita videtur esse.

integer] traditum est neque est cur mutemus; vernaculo sermone dicas: „unbescholten, lauter, ohne Makel". Quae significatio notior est quam ut exemplis probare eam opus sit.

fortiter] adverbium vel maxime offendit; exspectamus adiectivum *fortis*. Senserunt hoc ipsum etiam alii viri docti. Qua de causa Maehly l. c., ut nonnulli antea scribendum esse putabat: *miles et Augusti fortis et usque pius,* quod tamen non probo. *Fortiter* autem adverbium pro adiectivo attributo positum numquam me legere memini neque huius usus ullum exemplum indagare potui[1]).

---

42. ignibus hostilis reddere ligna ratis.

reddere] servandum est hoc verbum, quod codices praebent. *Reddere* vero positum est pro *dare*. Conferas quaeso hos versus, in quibus eandem fere significationem habemus:

1) cf. Stolz et Schmalz, l. c. p. 437 adn. 1.

Catull. 76, 26: o di, reddite mi hoc pro pietate mea.
Ciris v. 524 sqq.: illi pro pietate sua . . . . . .
reddidit optatam mutato corpore vitam.
Ov. met. XIII 553:
. . . nam se monstrare relictum
velle latens illi, quod nato redderet, aurum.
Lucret. II 680 sq.:
denique multa vides quibus et color et sapor una
reddita sunt cum odore.

---

44. tam tunc ille tener, tam gravis hostis erat.

Haec codicum lectio mihi videtur esse et illud prius *tam,* quod non nisi codice B nititur, in textum recipiendum, quippe cui alterum *tam* bene respondeat. Allitterationem quam hodie vocamus *tam . . . tunc tener* poeta fortasse adhibuit, ut illam mollitiem ipsis litteris sonantibus redderet.

---

46. fortis erat circa, fortis et ante ducem.

circa et ante ducem] duae praepositiones quae pertinent ad eundem accusativum. Facilius haec praepositionum coniunctio fortasse tolerari posset, si accusativus non sequeretur. „Gehören zwei Präpositionen zu einem Nomen, so ist es Regel, daß das Nomen zu jeder Präposition gesetzt werde; doch findet sich schon in einer alten Formel *uls et cis Tiberim* und Varro, de re rust. I, 35: *ante et post brumam*[1]). Sed ex carminibus Augusteae aetatis nullum afferre eius modi exemplum possumus. Praeterea hoc in versu habemus legitimam anaphoram; nam saepius ad vocem repetitam, praecipue in pentametro, *et* copula accedit[2]).

---

47. militis Eoi fugientis terga secutus.

fugientis] sic codices. Heinsius atque Ellisius scribunt *fugientia*, quod referendum sit ad *terga.* Quae tamen lectio quamvis elegantior, quia non est tradita summovenda est.

1) cf. Stolz et Schmalz, l. c. p. 279, 3.
2) cf. Woebbeking, l. c. p. 65 sq.

49. pax erat: haec illo laxarunt otia cultus.

illo] praebent codices B H M. Omnes editiones, quantum video, secutae sunt deteriores codices scribentes *illos;* sed iniuria. Nam *illo* melius ad sententiam quadrat et magis poetice mihi dictum videtur. Sane hic dativus *illo* pro *illi* non ita saepe invenitur neque ante Apuleium Madaurensem. cf.

Apul. apolog. c. 99: haec damna et dedecora morum eius patruo huic et candidato illo socero adsignanda.

Postea apud Fulgentium occurrit. cf.

Fulgent. de aet. mundi et hom. III p. 140 lin. 16: illo literarum imbutamento stultitia terminatur.

Fulgent. ib. p. 165, lin. 17: praebet inanem misericordiae sepulturam illo.

Ut hoc in versu *illo* sic inveniuntur formae *toto* (pro *toti*), *alio* (pro *alii*), *quo* (pro *cui*). Hos locos velim conferas[1]):

Caes. bell. Gall. VII 89, 5: ex reliquis captivis toto exercitui capita singula praedae nomine distribuit.

Apul. met. X 28: toto filiae patrimonio inminebat et capiti.

Prop. III 11, 57: . . toto quae praesidet orbi.

Cornif. rhet. II 9: ea saepe diversa sunt ut aliud alio iudici . . placitum sit.

Fulgent. Verg. Cont. p. 139 M (p. 739 St.): aurea enim mala si expetis, esto Euristeus alio fortiori, qui ut Alcides suam pro nihilo reputet vitam.

De dativo *quo* egit Birtius[2]), apud quem exempla inspicias quaeso. Haec autem omnia faciliora sunt quam elegiae in Maecenatem locus, quia *toto* vel *alio* dativum esse plerumque ex adiuncto nomine (*exercitui* similia) cognoscitur. Contra dativo *illo* in elegiae versu nullum nomen adiunctum est.

---

51. Actius ipse lyram plectro percussit eburno.

Actius] absolute pro *Apollo* positum non invenitur nisi hoc in versu. Nam apud Propert. IV 6, 67 *Phoebus* adiectum est:

Actius hinc traxit Phoebus monimenta, quod eius
una decem vicit missa sagitta rates.

---

1) cf. K. E. Georges, Lexikon der lat. Wortformen, Lips. a. 1890.

2) Birt, Th., Archiv für lat. Lexikogr., tom. XV, p. 81 sqq.

53 et 54. hic modo miles erat, ne posset femina Romam
dotalem stupri turpis habere sui.

dotalem stupri] nimis audacter mihi dictum esse videtur. Nam genetivus *stupri* pendet, si quid video, a *dotalis* adiectivo. *Dotalis* igitur substantivi vicem agere videtur significans *dotalem mercedem* vel *dotem* ipsam; nam sicut Phaedrus (fab. I prolog. v. 3) dicit *duplex libelli dos est,* ita hic intellegimus *Roma stupri dos est.* Sane omnia fere adiectiva pro substantivis poni possunt, si quam vim habeant ex ipsius sententiae ratione perspicitur. Sed ne unum quidem exemplum indagare potui, ubi *dotalis* ut hic idem significet quod *dos* vel *dotalis merces* vel simile quid. Attamen hi versus conferendi sunt:

Prop. III 11, 31: coniugis obsceni pretium Romana poposcit
moenia et addictos in sua regna patres?

eleg. de Maevio (poet. lat. min. ed. Wernsd. III p. 199) v. 3:
dotalemque petens Romam Cleopatra Canopo.

Ov. heroid. V 143:
nec pretium stupri gemmas aurumque poposci.

Prop. IV 4, 56: dos tibi non humilis prodita Roma venit.

Flor. II 21, 2: hinc mulier Aegyptia ab ebrio imperatore pretium libidinum Romanum imperium petit.

Octav. trag. 132 sq.: ... et pretium stupri
iustae maritum coniugis poscit caput.

---

55 et 56. hic tela in profugos — tantum curvaverat arcum —
misit ad extremos exorientis equos.

Sic priore in versu, ut oratio bene procedat, incidendum esse neque cum Maehlio l. c. verba inde a *in profugos* usque ad *arcum* in parenthesi ponenda esse puto; quod si faceremus, parenthesis inhabilis et ita comparata esset, ut sermonem frangeret pessime.

exoriens] absolute pro *oriens* insolens et rarum videtur esse. Nam duos tantum locos inveni, quibus sic adhibitum est. Sunt hi:

Varro, de re rust. III 9, 6: si ducentos (sc. gallos) alere velis, locus saeptus attribuendus, in quo duae caveae coniunctae magnae constituendae, quae spectant ad exorientem versus.

Columell. de arb. III 3: plantaria facito ab exoriente.

61—63. sum memor et certe memini sic ducere thyrsos
bracchia purpurea candidiora nive.
et tibi thyrsus erat gemmis ornatus et auro.

bracchia] sic edit. Aldina a. 1517. Codicum lectiones quae sunt *Bache* (B), *Bachea* (AH[1]), *Baccea* (H[2]), *Bacchea* (R M V) sensu carere videntur.

Quibus de versibus egit Birtius in illo libro, qui inscribitur „de halieuticis Ovidio poetae falso adscriptis“, Berol. a. 1878, p. 8 sqq. Nam complura in iis sunt quae offendant. Ac primum quidem displicet inepta tautologia quae nominatur *sum memor et certe memini;* neque Wernsdorfio l. c. assentior, cui „tantum videtur firmior asseveratio poetae“. Immo verba *et certe memini* non nisi versus explendi causa posita esse mihi quidem videntur. Deinde offendit *thyrsos,* quia paulo post iterum thyrsi fit mentio. Cur autem poeta Bacchum complures thyrsos gerentem faciat nescio. Gorallus quidem dicit *ducere thyrsos* idem esse quod *ducere pompam thyrsigerorum.* Sed vereor ne non hoc quidem loco thyrsigeri Bacchi comites cogitari possint. Porro quomodo bracchia agmen Bacchi ducere possint, prorsus non intellego. Corruptissimus igitur hic locus.

candidiora nive] conferas quaeso hos locos:

Ov. am. III 7, 8: ... bracchia Sithonia candidiora nive.

ib. met. VIII 373: ambo conspicui, nive candidioribus ambo
vectabantur equis.

ex Ponto II 5, 38 sq.:
non ego laudandus, sed sunt tua pectora lacte
et non calcata candidiora nive.

Catull. 80, 1 sq.: quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
hiberna fiant candidiora nive.

Ov. heroid. XV 249 sq.:
pectora vel puris nivibus vel lacte tuamque
complexo matrem candidiora Iove.

In versu 60 Bacchus duas tunicas habuisse dicitur:

te puto purpureas tunc habuisse duas.

Fortasse poeta tunicis duabus mollitiem significare vult; nam constat apud Romanos mulieres tunicam duplicem tulisse[1]). „Man begnügte sich später nicht mehr mit nur einer Tunika, sondern legte bei kühlerer Witterung deren zwei, auch mehrere an. Von Augustus wird erzählt, daß er in den Fällen selbst vier Kleider zu tragen pflegte“ [2]). Recte igitur Burmannus l. c. ad hos versus dicit: „duas tunicas purpureas et solutas gestasse Bacchum mollitiem et luxum auget, quia duobus tunicis, interiore et superiore indui mollibus et delicatis tantum in usu fuit“. Idem confert Marc. evang. VI 9, ubi Christus praecipit: *καὶ μὴ ἐνδύσασθε δύο χιτῶνας.* Conferendi sunt hi quoque loci:

Suet. Aug. c. 82: hieme quaternis cum pingui toga tunicis et subucula et thorace laneo et feminalibus et tibialibus muniebatur.

Calpurn. ecl. III 30: ... Nam protinus ambas
diduxi tunicas et pectora nuda cecidi.

Iam vero maxime arridet Birtii coniectura, qui *syrma* pro *thyrsos* ponendum atque *purpureum* ad *syrma* referendum esse censuerit:

sum memor et certe memini sic ducere s y r m a
bracchia p u r p u r e u m candidiora nive.

Haec Birtius l. c. addit: „syrma longum et amplum ita brachiis ducitur quasi duplex tunica sit: cogites Sardanapallon“. Ceterum cf.

Senec. Herc. fur. 472 sqq.:

non erubescit Bacchus effusos tener
sparsisse crines, nec manu molli levem
vibrare thyrsum, cum parum forti gradu
auro decorum s y r m a barbarico trahit.

Vollmeri autem coniecturas ad eleg. vv. 61 et 62 quae sunt *tigres* pro *thyrsos* et *hyperborea* pro *purpurea* ad verum proxime accedere nego. Nam eum si sequeremur, explicatum non haberet

---

1) cf. E. Guhl - W. Kohner, Leben der Griechen und Römer, ed. VI. cur. R. Engelmann, a. 1893, p. 733.

2) H. Weiss, Kostümkunde; Gesch. der Tracht u. des Geräthes der Völker d. Altert., Stuttgard. a. 1881, tom. I p. 345—46.

sic adverbium in v. 61, quod ad vv. 59 et 60 retro spectat evincitque etiam in v. 61 de re vestiaria esse sermonem. Ego quidem in lectione *thyrsos* latere puto *Thynos,* quod idem est atque *Bithynos,* qua de gente conferas Plin. nat. hist. IV 41; V 145 et 150. Catull. 25, 7 et 31, 5. Bithynia autem acu pingendi gloria excellebat[1]). Sane quid porro de v. 62 statuam incertus haereo. Itaque manum cohibuerim; nam meum non esse puto emendare sed demonstrare in versibus multa inesse quae offendant.

---

69. impiger Alcide, multo defuncte labore.

multo] haec omnium codicum lectio servanda est. Baehrensius quidem mutavit in *duro* „quod intolerabile est *multus* inter quinque versus ter repetitum". Sed etsi bonus quidem poeta id non admisisset tamen haec causa non est mutandi. Ceterum cf. adnotationem ad versum 16.

---

72. oblitum Nemeae iamque, Erymanthe, tui.

iamque] positum est quasi staret *iam oblitum Nemeae iamque, Erymanthe, tui.* Itaque illud pravum est, quod *iam* post *Nemeae* demum ponitur atque vinculo particulae *que* cum verbis sequentibus coniunctum est ita ut ipsum *iam* tantum ad *tui* referri possit.

---

73. ultra numquid erat?

Haec interrogatio rhetorica quam dicimus, refertur ad Herculem cum Omphale puella ludentem; quod tamen libidinis exemplum non tam grave videtur esse, ut haec interrogatio suo loco esse possit. Atque ne ironica quidem ratione haec verba adhibita sunt.

1) cf. A. Riese, Catulli ed., Lips. a. 1884, adn. ad 25, 7.

76. te propter dura stamina rupta manu.

dura manu] cf.

Prop. III 11, 20: tam dura traheret mollia pensa manu.

ib. IV 9, 50: et manibus duris apta puella fui.

Ov. heroid. IX 79: . . . digitis dum torques stamina duris.

---

77 et 78. Lydia te tunicas iussit lasciva fluentes
inter lanificas ducere saepe suas.

Lydia] absolute pro *Omphale* positum non nisi hoc loco inveni; nam aliis locis substantivum *puella* vel *nurus* adiunctum est:

Prop. III 11, 18: Lydia Gygaeo tincta puella lacu.

Senec. Hercul. Oet. 371: hospes Timoli Lydiam fovit nurum. ib. v. 573. Eandem in *Actius* v. 51 notavi licentiam.

ducere] sic codices. Complures viri docti hoc verbo offendebantur. Wernsdorfius quidem, qui *ducere* retinendum esse putat, ad hunc versum dicit: „*ducere* tunicas hoc loco dictum videtur pro *trahere* per pavimentum. Nam quae hic tunica muliebris est, ab aliis palla dicitur, quae praelonga et luxurians est". Recte quidem. At vero rarissime *ducere* hoc sensu occurrit. Nam non nisi unum exemplum afferre possum, ubi sic adhibitum est:

Prop. III 15, 39 sq.: Antiope, cognosce Iovem: tibi gloria Dirce
ducitur, in multis mortem habitura locis,

quod tamen multo facilius tolerari potest propterea quia *trahere* in versu 37 antecedit.

---

81. quis fore credebat cum iam premit impiger infans.

Sic hic versus legitur in codicibus S M V. Futurum tempus *premet*, quod ceteri codices habent, omnino non ad sensum quadrat.

premit] in enuntiato temporali praesens tempus *premit* post tempus praeteritum *credebat*. Tali in temporibus miscendis libertate poeta si Augusteae aetatis fuisset, numquam usus esset. Maehly l. c. ad lectionem a Baehrensio aliisque in textum

receptam: *premeret cum iam impiger infans* haec adnotat: „verborum autem in priore versu collocatio nullo codice nititur, sed est correctio eius qui alteram editionem Aldinam curavit, nec opinor a sensu commendata, si quidem *iam* voculam ante *impiger* epitheton positam nemo est quin ad hoc ipsum sit relaturus, repugnante vel maxime sententia. Servandus igitur est verborum ordo quem codices praebent *cum iam premet* sive *cum iam premit;* utraque vero verbi forma quum manifesto sit corrupta, scribendum est aut cum Scaligero *cum rumperet impiger infans* aut quod equidem propter *iam* voculam vix omittendam praetulerim: *cum iam angeret impiger infans*". Sed et Scaligeri et Maehlii coniectura a codicum lectionibus nimis recedit.

---

83. cumve renascentem terret velociter hydram.

cumve] particula *ve* coniunctioni *cum* adiecta. Apud Vergilium quidem haec particula omnibus fere pronominis relativi formis adiecta saepe occurrit. cf. Aen. I 9; 370; 539. II 75. IV 409. VI 560. IX 228. X 670. XI 509. *utve* legimus apud Ovidium: met. IV 365; *curve* ib. trist. V 8, 3. Sed *cumve* ne semel quidem indagare potui. Contra *cumque* in initio versuum apud Ovidium saepissime invenitur. Ex permultis exemplis haec tantum enumero: Ov. met. I 286; 432. II 215. III 458; 497. IV 86. trist. I 5, 77; 11, 33. II 193; 505. III 8, 37. ex Ponto I 1, 61. II 8, 46. III 2, 39. IV 10, 53; 16, 37. fast. I 724. III 302. IV 934. V 435. VI 273.

terret] omnibus codicibus traditum est, repugnat vero sententia. Fortasse hic mendum scribae exstat, qui *terret* pro *torret* scripsit. Quod si poeta dixit, ad Herculem id transtulit, quod proprie ad operis socium Iolaum pertinebat. Ita enim Diodorus narrat IV 11, 6: *πρὸς δὲ τὴν δυστραπελίαν ταύτην ἐπινοήσας τι φιλοτέχνημα προσέταξεν Ἰολάῳ τὸ ἀποτμηθὲν μέρος λαμπάδι καομένῃ ἐπικάειν, ἵνα τὴν ῥύσιν ἐπίσχῃ τοῦ αἵματος.* Sed etiam sic displicet quam maxime praesens tempus *torret* quod in sententiarum contextum minime quadrat. Itaque *meteret* quod primus Struchtmeyer egregie proposuit, Ellisius et Vollmer iure acceperunt.

85 et 86. vel tribus adversis communem fratribus alvum
et sex adversas solus in arma manus.

adversus] adiectivum bis positum duobus deinceps versibus et pertinens ad eundem Geryonem. Quis vero umquam audivit *solus in arma* (sc. conversus?)? Certum tamen est *in arma* suspensum non esse posse nisi ex *solus*. Sensusque est, ut vernacule dicam „allein kämpfend“. Maehly l. c. corrigi iussit *et sex conversas solus in arma manus*, quod tamen non probo.

in arma manus] hic versus exitus in his quoque versibus occurrit:

Ov. am. III 8, 48: quo tibi discordes addere in arma manus.

heroid. VIII 74: Argolicas pro se vertit in arma manus. ars amat. II 672. Prop. II 1, 18.

---

87 et 88. fudit Aloïdas postquam dominator Olympi
dicitur in nitidum percubuisse diem.

Aloïdas] haec lectio num recta sit vix dubitare licet.

postquam] tertio versus loco positum est. cf.

Ov. met. VIII 104:

Scylla freto postquam deductas nare carinas.

ib. VI 549: talibus ira feri postquam commota tyranni. ib. XIV 460. XV 641.

percubuisse] hoc verbum in litteris antiquis non invenitur nisi hoc in versu. Et Varro, lingua lat. IX 49 huius verbi usum improbat his verbis: *quod aiunt ut Persedit et Perstitit sic . . . Percubuit quoniam non sit, non esse analogian, ut in hoc errant! quod duo posteriora ex prioribus declinata non sunt, cum analogia polliceatur ex duobus similibus similiter declinatis similia fore.*

Procubuisse, quod deteriores codices praebent, sententiae ipsi non convenit.

---

89 et 90. atque aquilam misisse suam quae quaereret ecquid [1])
posset amaturo digna referre Iovi.

---

1) cf. F. Gruenler, de *ecquis* sive *etquis* pronomine quaestiones orthogr., Marp. a. 1911, p. 53.

quae quaereret] repetitio turpis syllabarum.

amaturo] codices praebent *maturo*. Manus secunda codicis H et ed. Ascens. a. 1507 praebent *amaturo;* verissime.

digna] codices habent *signa*. Heinsius rescripsit *digna;* optime. Sed monendum est *digna* pro substantivo positum ne adiecto quidem ablativo alibi me legere non meminisse.

referre] simili modo adhibitum est locis his:

Val. Max. III 2, 3: occiso enim Acrone fusisque hostibus opima de eo spolia Iovi Feretrio rettulit.

Suet. Domit. VI 1: de Sarmatis lauream modo Capitolino Iovi rettulit.

---

91 et 92. valle sub Idaea dum te, formose sacerdos,
invenit et presso molliter ungue rapit.

dum] sic codices; intellegimus „bis". Itaque Heinsii coniectura, qui *tum* pro *dum* scribendum censuit, dubito num sit recta. Ganymedis vero appellationem quae est *sacerdos* exemplis probare omnino nequeo.

molliter] hoc adverbium apud Vergilium semel tantum legitur: eclog. X 33. Praeterea occurrit apud Propertium et Ovidium [1]).

---

93. sic est: victor amet, victor potiatur in umbra.

potiatur] *potiri* absolute hic usurpatum est ita ut idem significet quod *amoribus frui*. Cuius usus exempla habeo haec:

Ov. ars amat. I 711: ut potiare roga: tantum cupit illa rogari.

Terent. Heaut. Tim. 322:

vis amare, vis potiri, vis quod des illi effici.

Lucret. IV 1076 sq.:

. . etenim potiundi tempore in ipso
fluctuat incertis erroribus ardor amantum.

---

94. victor odorata dormiat inque rosa.

inque] *que* particula quarto demum versus verbo adiecta. „Bei Plautus wird *que* immer dem ersten Worte des Satzes

1) cf. Priess, H., usum adverbii quatenus fugerint poet. lat. quidam dactylici, Marp. a. 1910, p. 25.

angehängt, was sich auch in der Prosa erhielt; nur die Dichter der augusteïschen und der späteren Zeit nehmen von dieser Stellung Umgang und erlauben sich Freiheiten, offenbar unter dem Zwange des Metrums“ [1]). Apud Catullum vocula *que* semper primo sententiae verbo adiecta est excepto hoc uno loco:

Catull. 57, 2: Mamurrae pathicoque Caesarique.

Maiore libertate usi sunt Tibullus et Propertius. Hos versus velim conferas:

Tib. I 10, 51: rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse.

ib. I 6, 53 sq.: attigeris, labentur opes, ut volnere nostro
sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.

ib. I 3, 38: effusum ventis praebueratque sinum.

Prop. II 32, 14: flumina sopito quaeque Marone cadunt.

ib. II 20, 12: ferratam Danaes transiliamque domum.

Ov. ars. amat. 675 sq.:
spectet amabilius iuvenem et suspiret ab imo
femina, tam sero cur veniatque roget.

Manil. I 847: praecipites stellae passimque volare videntur.

Propert. III 21, 16: qualiscumque mihi tuque, puella, vale.

Neque solum hoc in versu 94, sed etiam in v. 142 et in eleg. II versu 12 elegiarum scriptor maxima libertate usus est in coniunctionibus copulativis collocandis. Simili vero modo in Maecenatis ipsius fragmentis particula *nec* transversa est [2]). Conferas quaeso hos versus, qui in Isidori etymolog. lib. XIX 32, 6 nobis servati sunt:

lucentes, mea vita, *nec* smaragdos
beryllos mihi, Flacce, *nec* nitentes
nec percandida margarita quaero.

Maecenatis ipsius igitur consuetudinem nonne videtur imitari ille qui elegias in Maecenatem composuit?

odorata] hoc rosae epitheton invenimus etiam apud Tibullum I 3, 62:

floret odoratis terra benigna rosis.

---

1) cf. Stolz et Schmalz, l. c. p. 342.

2) cf. Lunderstedt, l. c. p. 27 et p. 54 sq.

Praecipuum vero florum epitheton *odorus* video esse. cf. hos locos:

Ov. met. IX 87: . . pomis et odoro flore repletum.

Mart. VI 80, 5: tantus veris honos et odorae gratia Florae.

Senec. Oed. 496: et mixta odora Lesbia cum thymo.

De anaphora quae exstat in versibus 95 (victus), 97 (tempora), 98 (haec), confer quae dixit R. Woebbekingius[1]).

---

101. conglaciantur aquae: scopulis se condit hirundo.

conglaciantur] hoc verbum non nisi in prosa oratione nobis occurrit. cf.

Cic. de nat. deor. II 10, 26: fusio, quae neque conglaciaret frigoribus neque nive pruinaque concresceret.

cf. praeterea Cic. ad fam. VIII 6, 3. Plin. nat. hist. II 60.

---

102. verberat egelidos garrula vere lacus.

verberat] recte adnotat Gorallus: „Verberare autem lacus dicitur hirundo, quia eorum superficiem rapido volatu legens alis saepe eam verberat." Idem affert Plin. nat. hist. XVIII 363 (sub finem), ubi pluviae imminentis signa describit: *hirundo tam iuxta aquam volitans, ut pinna saepe percutiat.*

egelidos] est Scaligeri recta emendatio; falsum *et gelidos,* quod codices habent; vere enim lacus non iam sunt gelidi. *Egelidus* significat „laulich, warm", cf.

Catull. 64, 1: iam ver egelidos refert tepores.

Columell. X 282 (de cultu hortorum):

nunc ver egelidum, nunc est mollissimus annus.

---

103. Caesar amicus erat: poterat vixisse solute.

solute] alibi non invenitur hoc adverbium nisi apud scriptores prosaicos, imprimis apud Ciceronem, Livium, Tacitum.

---

1) l. c. p. 65 sq. et 79 sq.

104. cum iam Caesar idem quod cupiebat erat.

idem quod] stare videtur pro *id quod* vel *id ipsum quod.* Exscribere mihi liceat quae dicit Schmalzius: „Überhaupt zeigt sich die Verwilderung der Sprache nirgends mehr als auf dem Gebiet der Pronomina. *Is* war den Dichtern unbequem, weil es sich nicht gut in den Vers fügt, und so meiden es Catull, Virgil, Horaz, Lukan, auch der Metriker Terentian sichtlich. Aber es schliff sich auch als kleines Wörtchen sehr bald so ab, daß es überhaupt fast ganz außer Kurs kam, und nun mußten *hic, iste, ille, ipse, idem* für dasselbe eintreten. Dadurch verloren auch diese an ihrer Bedeutung und so erklärt es sich, daß die Verbindung *idem ipse,* die dem Cicero entschieden abzusprechen ist, bei Gellius oft vorkommt und dann im afrikanischen Latein allgemein üblich wird“ [1]. *idem quod* apud Ciceronem non invenitur nisi hoc uno loco:

Cic. ad Attic. VIII 12, 13: neque enim suspicari debui, praesertim cum ex ipsius Pompei litteris, idem quod video te existimasse non dubitarim, quin is Domitio subventurus esset. Apud Catullum 10, 20 legimus:

istud quod modo dixeram me habere.

---

105. indulsit merito. non est temerarius ille.

Recte Wernsdorfius ad hunc versum adnotat: „non de Maecenate, sed de Caesare hoc capiendum est. Indulsit ei Caesar bene merito, h. e. permisit ei sic vivere, quod bene ante meritus erat: et non temerarius ille sc. Caesar in iudicando est.“ cf. Senec. de ira III 30, 3: magis alteri indulsit.

107—110. Argo saxa pavens postquam Scylleïa legit
Cyaneosque metus iam religanda ratis,
viscera disiecti mutaverat arietis agni
Aeetis sucis omniperita suis.

Aeetis: recta Scaligeri lectio videtur esse, ad quam codicum scriptura proxime accedit.

---

1) cf. Stolz et Schmalz, l. c. p. 444.

omniperita: sic sine dubio recte coniecit Salmasius; codices habent *omne perita.* Ellisius confert heroid. VI 128:

Medeae faciunt ad scelus omne manus.

Scylleïa] praebent codices. Adiectivum vero a *Scylla* derivatum est *Scyllaeus* neque *Scylleïus* adiectivum ullo loco nisi hoc in versu invenitur. Sed simili modo *Perseïus* a *Persa* et *Semeleius* a *Semela* derivata sunt. cf. hos versus:

Val. Flacc. Argon. V 581:

contra flammigeri proles Perseia Solis
„quem rogitas, Carmeius" ait.

Ov. met. IX 641 sq.:

utque tuo motae, proles Semeleïa, thyrso
Ismariae celebrant repetita triennia bacchae.

postquam] cf. quae de huius coniunctionis collocatione dixi ad versum 87.

metus] hic concreto sensu dictum est pro „Schrecknisse", ut nostra lingua utar. Maehly l. c. dubitat hocine sensu a poeta *metus* latine dici potuerit. Et verum est hunc usum non ita saepe occurrere neque usquam nisi apud poetas post Augusteam aetatem; hos versus affero:

Stat. Theb. XII 606 sq.:

ipsa metus Libycos servatricemque Medusam
pectoris incussa movit Tritonia parma.

Senec. Phaedr. 29 sq.: hic versatur, metus agricolis,
vulnere multo iam notus aper.

Val. Flacc. Arg. I 22 sq.:

Haemoniam primis Pelias frenabat ab annis
iam gravis et longus populis metus.

disiecti] *disicere* hoc loco significat „zerlegen, zerspalten, zerhauen". Cuius significationis haec exempla habeo:

Verg. Aen. XII 306 sqq.:

. . . ille securi
adversi frontem mediam mentumque reducta
disicit et sparso late rigat arma cruore.

Plaut. Curc. 424: clupeatus elephantum ubi machaera dissicit.

mutaverat] plusquamperfecto hic nullum locum esse adnotat Baehrensius. Optimus codex B habet *mutaverit* quod nihili est. Mihi quidem poeta hoc in versu tempus plusquamperfectum eodem fere modo adhibuisse videtur quo Propertius, qui nonnullis locis „facta ita disponit, ut tempus, quo is, qui illa memoriae prodidit, vixit, pro perfecto sit, ea vero, quae hic prodidit quaeque ipse poeta repetit, ante illud tempus, id est in tempore plusquamperfecto sint"[1]). Conferendi sunt hi loci:

Prop. I 15, 9sqq.: at non sic Ithaci digressu mota Calypso
desertis olim fleverat aequoribus:
multos illa dies incomptis maesta capillis
sederat iniusto multa locuta salo.

ib. I 20, 15sq.: quae miser ignotis error perpessus in oris
Herculis indomito fleverat Ascanio.

Cetera exempla ex Propertio sumpta affert Spindler l. c.

omniperita] adiectivum *omniperitus* in tota latinitate non invenitur nisi hoc loco unico. Adiectiva cum *omnis* composita non ita saepe occurrunt atque apud Ovidium et Vergilium non inveniuntur nisi haec tria:

omnigena (gen. plur. — ūm): Verg. Aen. VIII 698:
omnigenumque deum monstra eqs.

omniparens: Verg. Aen. VI 595:
. . . terrae omniparentis alumnum.

omnipotens: hoc adiectivum apud Ovidium quidem saepius, saepissime vero apud Vergilium reperitur. cf. Ov. met. I 154. II 304; 401. III 336. IX 271. Verg. Aen. I 60. II 689. III 251. IV 25. V 687. VI 592. VII 428. VIII 398. IX 625. X 615. XI 790. XII 178.

agni] codices. Sed genetivo hic non est locus; nam sensu caret. Itaque fortasse cum editione Aldina a. 1517 legendum est *agno*, quam lectionem et Ellisius et Riese in textum receperunt. Sane *mutare* coniunctum cum ablativo ea ratione ut significet „verwandeln" non nisi in passiva coniugatione inveni. cf.

Ov. met. XI 741 sq.:
. . et tandem, superis miserantibus, ambo
alite mutantur.

1) H. Spindler, synt. Propert. cap. duo, diss. Marp. a. 1888. p. 12.

Senec. nat. quaest. IV a 2, 3: duobus in unum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur et eius nomen ferunt. Quod vero attinet ad fabulam, quam tangit poeta, hos locos conferas quaeso:

Ov. met. VII 310 sq.:

. . qui vestras maximus aevo est
dux gregis inter oves, agnus medicamine fiet.

atque porro ib. v. 320: . . mirantibus exilit agnus.

Hyg. fabul. (ed. M. Schmidt, Ien. a. 1872) p. 54 lin. 22: arietemque vetulum in aenum coniecit, unde agnus pulcherrimus prosiluisse visus est.

Aeetis] haec vox non invenitur nisi apud Valerium Flaccum his duobus locis:

Val. Flacc. Argon. VI 481 sq.:

. . . et pavor artus
protinus adque ingens Aeetida perculit horror.

ib. VIII 233 sq.: . . hortatorque Cupido
suscitat adfixam maestis Aeetida curis.

---

111. his te, Maecenas, iuvenescere posse decebat.

posse decebat] pleonasmus inest. Comparari possunt hi loci[1]):

Catull. 93, 1: nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere.

Nep. Att. IV 2: noli . . . me velle ducere.

Tacit. annal. III 3: animus magnitudinem mali perferre visu non toleravit.

Lucret. I 149: principium cuius hinc nobis exordia sumet[2]).

---

113. redditur arboribus florens revirentibus aestas.

revirentibus] hoc verbum hic solum stare videtur.

aestas] sic codices neque est cur mutemus. *Florere* vero etiam de aestate dici posse comprobatur his locis:

---

1) Vahlen, Joh., Commentationes Mommsen., Berol. a. 1877, p. 664 sqq. cf. M. Rothstein, Propert. ed., Berol. a. 1898, adnot. ad II 5, 3 et I 18, 5.

2) cf. R. Ellis, comment. on Catullus, Oxon. a. 1876, adnot. ad 93, 1.

Verg. Aen. I 430: qualis apes aestate nova per florea rura
exercet sub sole labor.

Sueton. Aug. 31: Compitales Lares ornari bis anno instituit vernis floribus et aestivis.

cf. etiam Sen. Herc. Oet. 1578:

vel comam silvis revocabit aestas.

---

114. ergo non homini quod fuit ante redit?

ergo] particula hoc loco vim habet: „und da wirklich"? Handius l. c. II p. 453 de particula *ergo* haec dicit: „In interrogatione varius est usus. Nam qui hoc vocabulo adhibito quaerit, aut ex praecedentibus consecutionem colligit (also), aut alia re concessa inde ad aliam pergit, aut rem affirmatione praeoccupat (doch wohl, also doch), aut vehementius instat, aut miratur rem, sicuti praesertim in verbis: *cur ergo* warum nur? Et utitur hac particula is, qui ad suam quaestionem redit post interpellationem, et is, qui non acquiescens in responsione data iterum distinctius quaerit, ubi nos dicimus aber". Ex permultis exemplis quae attulit — pleraque Plautus offert — haec duo sufficiant:

Plaut. Trinum. 191:

ME. polliceor operam. CA. ergo ubi eris paulo post?

Cic. de fin. II 35, 117: ergo in iis adulescentibus bonam spem esse dicemus et magnam indolem, quos suis commodis inservituros et, quicquid ipsis expediat, facturos arbitrabimur?

Sed paulo aliter particula hoc in versu adhibita est, quae ad vim adversativam inclinare videtur. Itaque conferendum est quod Rothsteinius dicit (Propert. edit. adn. ad I 8, 1): „Mit *igitur* oder *ergo* kann die Rede beginnen, wenn der Sprechende etwas Geschehenes, gewöhnlich einen schweren Verlust, noch nicht glauben kann oder will: „Ich kann es nicht für möglich halten, aber ich sehe es, also muß ich es schon glauben". Ob sich der Sprechende dabei in das Unglaubliche fügt, nachdem es einmal Tatsache geworden ist, oder es immer noch bezweifelt, ob also der mit *igitur* oder *ergo* beginnende Satz eine Frage oder eine Aussage enthält, macht für den Gedanken nur

einen geringen Unterschied und kann im einzelnen zweifelhaft sein"[1]).

Non vero assentior Maehlio, qui l. c. ad hunc versum dicit: „Labes inest versui postremo; quippe deest nomen quo referatur pronomen relativum *quod;* vix enim credibile est enuntiatum illud *quod fuit ante* poetam subiecti vicem obtinere voluisse, cui dicere licuit *quae* scilicet *aestas*". Sane pronomen relativum *quod* in verbis ipsis quae exstant non habet quo referatur; necesse igitur est intellegamus *id quod fuit ante;* sensus autem est: *aetas quae fuit ante.* Eius modi vero sententiis relativis poeta suo iure uti potest. Aliter res se habet his in versibus, ubi ad pronomen relativum nomen accedit quo referatur:

Ov. trist. IV 6, 6: nec feritas animo, quae fuit ante, manet.
ib. IV 10, 30: et studium nobis, quod fuit ante, manet.
ib. V 2, 8: affectusque animi, qui fuit ante, manet.

ex Ponto I 10, 26; fast. VI 168.

Recte quidem Maehly animadvertit in Heinsii lectione *ver cur non homini* displicere *quod fuit ante* „utpote non supervacuum sed vel maxime languidum, ut si vernacule diceres „der frühere Frühling". Denique hoc quoque loco simili modo quo supra in versu 10 Riese *ergo* mutavit in *aegro,* quod minime probo.

---

115. vivacesque magis cervos decet esse paventes.

vivacesque] offendere mihi videtur copula *que,* quae suo loco sine dubio esset, si hic versus statim post versum 113 positus neque pentametro 114 ab illo versu separatus esset. Codex B copulam omittit. Itaque valde placet mihi Heinsii propositum, qui legi iussit *vivacesne.*

---

121. ut tibi vita foret semper medicamine sacro.

semper] adverbium locum adiectivi *sempiternus* vel *perpetuus* tenet. Necesse enim est intellegamus *ut tibi foret vita sempiterna.* Adverbium autem non ita raro poni pro adiectivo

1) cf. etiam A. Kiessling - R. Heinze, Horat. edit., Berol. a. 1901[4], adnot. ad carm. I 24, 5.

attributo notum est. Imprimis adverbia temporalia sic adhibentur. cf.

Verg. Aen. I 198: ... neque enim ignari sumus ante malorum.

Catull. 4, 10: ubi iste post phaselus antea fuit[1]).

Praeterea *circa, prope, invicem* adiectivi locum tenere possunt. Sed *semper* pro *sempiternus* adiectivo rarissime apud scriptores latinos in usu versatur. cf.

Cic. Phil. VII 8: ego ille pacis semper laudator.

Terent. Andr. 175:

mirabar hoc si sic abiret, et eri semper lenitas
verebar quorsum evaderet.

Vix dubium esse potest, quo hoc in versu *semper* referendum sit. Me quidem cum Fr. G. Holtzio[2]), Draegero[3]), Kuehnero[4]) facere confiteor, qui adverbium ad *lenitas* referendum esse putent, „nam si *semper* ad verbum spectare voluisset poeta, tum secundum constantem usum ei dicendum fuisset: *semper veritus sum*". Huius usus aliud exemplum affert Reisigius (l. c. III adnot. 391):

Veget. de re mil. II praef.: indubitata approbatio artis sit rerum semper effectus.

Flori poetae versum addidit Fr. Haasius[5]), ubi *semper* eodem modo adhibetur:

tam malum est audere semper quam malum est semper pudor[6]).

At huc non pertinet hic locus:

Prop. I 16, 47: sic ego nunc dominae vitiis et semper amantis
fletibus aeterna differor invidia.

Quo in versu *semper* ad *fletibus* spectare quispiam dixerit[7]); sed haec interpretatio num sit recta vehementer dubito. Neque Rothsteinio assentior, qui ad *amantis* adverbium *semper* referen-

---

1) cf. Birt, der Hiat bei Plautus, Marp. a. 1901, p. 356.

2) Fr. G. Holtz, syntaxis prisc. script. lat., Lips. a. 1861, I p. 11.

3) Draeger, l. c. p. 131.

4) Kuehner, l. c. p. 165.

5) Fr. Haase, Vorles. über lat. Sprachwiss., 1 p. 132, Lips. a. 1874.

6) A. Riese, antholog. lat., I 1, p. 202, Lips. a. 1904[2].

7) cf. Reisig, l. c. III p. 151, adn. nr. 391.

dum esse censeat[1]). Nam „non unius amatoris constantis, sed turbae limina oppugnantis importunitatem assiduam ianua queritur. Quare *semper* per hyperbaton cum verbo *differor* iungendum erit, figura Propertio maxime familiari“ [2]).

---

122. te vellem Aurorae complacuisse virum.

complacuisse] hoc verbum ne semel quidem apud scriptores Augusteae aetatis reperitur; saepius occurrit apud Plautum et Terentium. Hos locos velim conferas:

Plaut. Rud. 727:

si autem Veneri complacuerunt, habeat, si argentum dabit.

ib. v. 187: ... hoc deo complacitumst.

Terent. Andr. 645: postquam me amare dixi, complacitast tibi.

ib. Heaut. Tim. 773 sq.:

eius sibi complacitam formam postquam aspexerit
hanc cupere uxorem.

Postea hoc verbum non fere invenitur nisi apud Columellam, Gellium, Apuleium. cf.

Columell. de re rust. IX 16 (sub fin.): ut et tibi et Gallioni nostro complacuerat.

Gell. XVII 9, 4: quaenam vero littera pro qua scriberetur, ante is, sicut dixi, complacebat, qui hanc scribendi latebram parabant.

Apul. apol. XV: qui eorum foret pulchritudine sibi complacitus.

123—125. illius aptus eras croceo recubare cubili
et modo poeniceo rore lavante torum
illius aptus eras roseas adiungere bigas.

poeniceo] sic codices; quam lectionem si retinemus, verba sensu omnino carent, qui fortasse recte restituitur, si *poeniceum* scribimus. Sane *poeniceum* non nititur nisi Scaligeri membrana deperdita, cuius lectiones Scaliger servavit[3]). Wernsdorfius l. c.

---

1) Rothstein, Propert. edit., adnot. ad I 16, 47.

2) sic Guilh. Hertzberg, Prop. edit., Halis a. 1845, adn. ad I 16, 47.

3) in „Publii Virgilii Maronis appendix ... Iosephi Scaligeri in eandem appendicem commentarii et castigationes“, Lugd. a. 1573, p. 528—541.

hos versus sic interpretatur: „Mihi videtur stare posse vulgata lectio (dicit *poeniceum* et *levante*), si versus hic conectatur cum sequente, hoc modo: et, modo poeniceum rore levante torum, illius aptus eras etc. h. e. et dum ros matutinus eius torum levat, i. e. nubes et humum refrigerat et humectat, interim aptus eras equos Aurorae adiungere". At vero pro *levante* velim retineas *lavante*, quae lectio optimis codicibus nititur.

et modo] haec verba initio versus saepe nobis occurrunt in Ovidii scriptis. Conferas hos versus: met. II 106; 414; 189. V 483. VI 371; 663. VIII 467. X 187; 259; 371; 416. XI 499. XIV 703. ex Ponto I 2, 51 sq. II 10, 41. IV 8, 63. fast. I 130; 153. IV 235; 397. VI 705. Conferendi sunt hi quoque Propertii versus, in quibus verbis *et modo* adhibitis novum aliquid annectitur ita ut alterum *et modo* neque antecedat neque sequatur.

Prop. I 11, 1 sqq.:

ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Bais,
qua iacet Herculeis semita litoribus,
et modo Thesproti mirantem subdita regno
proxima Misenis aequora nobilibus,
nostri cura subit memores ah ducere noctes?

ib. III 14, 15: et modo Taygeti, crines aspersa pruina,
sectatur patrios per iuga longa canes.

ib. II 24, 11: et modo pavonis caudae flabella superbae
et manibus dura frigus habere pila.

Sed hos locos allatos ad illud *et modo* quod in elegiae Maecenatis versu 124 obvium est explicandum quicquam conferre nego. Nam Rothsteinii[1]) sententiam probare nequeo, qui in Propertii versu modo allato (II 24, 11) voculam *et* non iam vim copulativam habere sed *et modo* ita detritam formulam factam esse putat, ut singulorum verborum significatio non iam sentiretur. Immo Wernsdorfii interpretationem rectam esse persuasum habeo, quam supra attuli. Etenim coniunctio *et* conectit alterum *aptus eras* in versu 123 cum altero in versu 125 atque *modo* significat „soeben". Itaque vertendum est: „Du warst wert, auf ihrem

1) in Propert. edit. adnotat. ad carm. I 3, 21.

goldfarbenen Lager zu ruhen und, wenn der Morgentau soeben das in Purpur erglühende Lager benetzt, warst du wert, ihr Rosengespann anzuschirren“[1]).

126—128. tu dare purpurea lora regenda manu,
tu mulcere iubam, cum iam torsisset habenas
procedente die respicientis equi.

Aurora ipsa hoc loco currum habet sicut Sol.[2]) cf. Odyss. XXIII 243 sqq.:

'Ηῶ δ' αὖτε
ῥύσατ' ἐπ' 'Ωκεανῷ χρυσόθρονον οὐδ' ἔα ἵππους
ζεύγνυσθ' ὠκύποδας, φάος ἀνθρώποισι φέροντας
Λάμπον καὶ Φαέθονθ', οἵ τ' 'Ηῶ πῶλον ἄγουσιν.

Prop. II 18, 7 sqq.: at non Tithoni spernens Aurora senectam
desertum eoa passa iacere domo est.
illum saepe suis decedens fovit in ulnis
quam prius adiunctos sedula lavit equos[3]).

ib. III 13, 16: quos Aurora suis rubra colorat equis.

Verg. Aen. XII 76 sq.: . . . cum primum crastina caelo
puniceis invecta rotis Aurora rubebit.

Tib. I 3, 93 sq.: hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

Val. Flacc. II 261: regina ut roseis Auroram surgere bigis
vidit eqs.

Adde Ov. met. III 150; Aen. VII 25; VI 535; cons. ad Liv. v. 280 sq.

In versibus 125 sq. Tithonus equos ad currum adiungit. Apud Propertium quidem II 18, 7 sqq., quem locum supra attuli, Aurora ipsa hoc munus suscipit, Horis vero tribuitur apud Ovidium met. II 118:

iungere equos Titan velocibus imperat Horis.

---

1) cf. etiam Meyer, Antholog. lat., adn. ad versum 124.

2) cf. J. Schrader - G. H. Schaefer, Musaei edit., Lips. a. 1825, adnot. ad v. 110.

3) cf. Rothstein, l. c. adnotat. ad Prop. II 18, 10.

respicientis equi] hunc locum recte interpretatus est Burmannus: „Aurorae equus dicitur respicere, cum bigas retorquet seu reflectit Aurora die procedente i. e. incipiente, cum Phoebus iam quadrigas agit: sic enim solent equi respicere cursu confecto, quia habenas et iuga sibi adimi cupiunt, ut quiescant, eorumque colla et iubas manu mulcemus re bene gesta". Re vera ita rem se habere nemo huius rei peritus est qui neget.

Sententiae autem defectum inter versus 128 et 129 statuendum esse indicatur ipsa particula *sic* in versu 129, quae non habet in versibus antecedentibus quo spectet. Itaque Birtius[1]) hanc lacunam his duobus versibus explevit:

⟨Quaesivi Stygiis tua lumina pressa tenebris:
o necopianti floribus apte redi.⟩
quaesivere chori eqs.

---

129 et 130. quaesivere chori iuvenem sic Hesperon illum,
quem nexum medio solvit in igne Venus.

iuvenem] sic codices; sed mea quidem sententia hoc loco choros iuvenum intellegi opus est cum Wernsdorfio[2]), „quoniam non hic sermonem de subita Maecenatis morte esse video, sed potius de merita eius immortalitate, quam auctor imagine Hesperi, olim iuvenis, sed postea inter sidera relati, pingere vult; propterea choros iuvenum non ludentes sub vesperam intellegi arbitror, qui Hesperum stellam subito evanescentem desiderent, sed eos, qui olim, iuvenis Hesperi aequales, celebrare cum eo choros solebant, et mox a Venere raptum et in stellam mutatum desiderabant. Unde hanc versuum propositorum sententiam esse existimo: Sic etiam Hesperon illum olim chori iuvenum, quibus interesse solebat, quaesivere, desideravere, quoniam eum Venus rapuit et in coelum transtulit: quem quidem complexa ea medio in curriculo subito dimittit et solvit, h. e. occidere et evanescere sinit; eundem tamen mox sub nocte, alia coeli regione, rursus nitere videmus". Quae cum ita sint, *iuvenum* in textum recipiendum erit, quam lectionem Birtius quoque

---

1) de halieuticis etc. p. 9.
2) l. c. III p. 507 (excursus V).

(l. c. p. 10) probavit adiectis verbis his: „Maecenas nocte Stygia pressus iuvenis specie ita reversurus videtur, velut media nocte pueri si forte ex venereo puellarum nexu excitantur desiderant iam Hesperum illum qui tamen mane idem lucifer revertitur“.

---

131 et 132. quem nunc in fuscis placida sub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernis equis.

in fuscis] sic cum Ellisio lego. *infusci* praebent B et M; *infuscis* vel *in fuscis* habent nonnulli codices deteriores. *fuscus* vero significat „dunkelfarbig, dunkel“. cf.

Verg. Aen. VIII 369:
nox ruit et fuscis tellurem amplectitur alis.

Ov. met. V 286: fusca repurgato fugiebant nubila caelo.

Val. Flacc. VI 494: ... fuscis et iam notus imminet alis.

Equis his in versibus Maecenatis laudator Luciferum in curru vehentem inducit, qua in re tamen a poetarum consuetudine discedere videtur, qui Luciferum equo singulari volantem faciunt. Hi versus conferendi sunt:

Ov. trist. III 5, 55 sq.: hos utinam nitidi Solis praenuntius ortus
afferat admisso Lucifer albus equo.

Ov. amor. II 11, 55 sq.:
haec mihi quamprimum caelo nitidissimus alto
Lucifer admisso tempora portet equo.

ib. met. XV 189 sq.: ... cumque albo Lucifer exit
clarus equo.

Claud. cons. Honor. IV 561 sqq.:
quin etiam velox Aurorae nuntius Aethon
qui fugat hinnitu stellas roseoque domatur
Lucifero, quotiens equitem te cernit ab astris
invidet inque tuis mavult spumare lupatis.

Duos tantum locos habeo, quibus poeta Lucifero currum tribuit:

Ov. amor. I 6, 65: iamque pruinosus molitur Lucifer axes.

Tib. I 9, 62: dum rota Luciferi provocet orta diem[1]).

1) cf. Wernsdorf, l. c. III p. 509 (excursus V).

Quod attinet ad sententiam, comparari possunt hi loci:

Platonis epigramma apud Th. Bergkium, poet. lyr. gr., Lips. a. 1882, tom. II p. 304, frg. XV:

'Αστὴρ πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν 'Εῷος,
νῦν δὲ θανὼν λάμπεις Ἕσπερος ἐν φθιμένοις.

C. J. G. 6249 (epigr. gr. ed. G. Kaibel, Berol. a. 1878, nr. 568):

ἥτις ἐνὶ ζωοῖσιν ὅκως ἀνέτελλεν 'Εῷος
νῦν δύνει δ'ὑπὸ γῆν Ἕσπερος ἐν φθιμένοις.

Helv. Cinnae. Zmyrnae carminis frgm. 8:

te matutinus flentem conspexit Eous
et flentem paulo vidit post Hesperus idem.

Catull. 62, 34[1]):

nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine Eous.

Ciris 352: Hesperium vitant, optant ardescere Eoum.

contra] i. e. in contrarium: „nach entgegengesetzter Richtung".

---

133 et 134. hic tibi Corycium, casias hic donat olentis
hic et palmiferis balsama missa iugis.

De anaphora, cuius tertio membro copula *et* accrevit, conferas Woebbekingium, l. c. p. 65 et 67.

---

135. nunc pretium candoris habes, nunc redditus umbris.

candoris] *candor* substantivum idem significat quod *probitas* vel *simplicitas,* quo de significatu conferendi sunt versus hi:

Ov. heroid. IV 32: candor ab insolita labe notandus erat.

ib. ex Ponto III 2, 21:

aut meus excusat caros ita candor amicos.

ib. trist. II 467 sq.:

his ego successi, quoniam praestantia candor
nomina vivorum dissimulare iubet.

ib. ex Ponto II 5, 5. III 4, 13. trist. II 572.

---

1) cf. Birt, in mus. Rhen. tom. 59, p. 415 et 417.

136. te sumus obliti decubuisse senem.

decubuisse] *decumbere* verbum hoc in versu significat idem quod *mori*: „sterben"; quod hac quidem significatione non nisi in inscriptionibus occurrit:

Corp. inscr. lat. VII 405: qui natus Galatia decubuit Galatia.

---

137. ter Pylium flevere sui ter Nestora canum.

canum] stare videtur pro substantivo *senex*. Nam *ter canus* ita capiendum esse statuo ut dicebant *ter consul* similia. Nonnullis sane locis invenitur *canus* adiectivum positum pro *senex*. cf.

Tib. I 8, 29: munera ne poscas: det munera canus amator.
Mart. III 43, 3: ... scit te Proserpina canum.

Itaque *ter canum* significat: *qui aequaverat trium senum aetatem*, atque idem est quod *trisaeclisenex* (Laevius apud Gellium XIX 7, 13). Ante oculos poetae versatum videtur esse illud Homeri:

Odyss. III 245: *τρὶς γὰρ δή μίν φασιν ἀνάξασθαι γένε' ἀνδρῶν.*

cf. etiam Aesch. Choeph. 314: *τριγέρων*. Praeterea conferendi sunt hi loci:

Manil. astron. I 764 sq.: ... Pyliumque senecta
insignem triplici.

Ov. met. XII 188: (Nestor ait) ... vixi
annos bis centum; nunc tertia vivitur aetas.

Prop. II 13, 46: Nestoris est visus post tria saecla cinis.

Hor. carm. II 9, 13: ... ter aevo functus ... senex.

---

139. Nestoris annosa vicisses saecula, si me
dispensata tibi stamina nente forent.

dispensata] hoc verbum reperitur his quoque locis: Ov. met. VI 278. heroid. XII 3. Iuv. I 3, 287. Hor. sat. I 2, 75.

annosa] sic omnes codices. Viri docti semper hac forma offendebantur, quod metrum flagitat ultimam syllabam productam.

Sed hac licentia prosodiaca poetas latinos saepius usos esse demonstravit Birtius[1]) his exemplis allatis:

Catalept. IX 60: Cynthius et Musa, Bacchus et Aglaie.

carm. epigr. 331, 3 sq.:

de incerto certa ne fiant si sapis caveas.
de vero falsa ne fiant iudice falso.

Gell. I 24 (epigr. in Plaut.):

scaena est deserta, dein risus ludus iocusque.

Verg. Aen. III 464:

dona dehinc auro gravia sectoque elephanto.

Prop. II 13, 25: sat mea sit magna si tres sint pompa libelli.
ib. IV 5, 62: per tenues ossa sunt numerata cutes.

Ov. am. III 7, 55:

sed puto non blanda, non optima perdidit in me.

---

141. nunc ego, quod possum: tellus, levis ossa teneto.

quod] quam lectionem, quae optimis codicibus nititur, Vollmer suo iure in textum recepit. Nam huius loci sensus est hic, ut germanice dicam: „was ich noch für Dich tun kann, will ich tun, nämlich dieses Gebet verrichten"[2]). Deinde tellus ipsa invocatur.

---

142. pendula librato pondus et ipsa tuum.

et] quarto demum versus loco positum valde offendit; nam *et* copulam, quae coniungeret versum 142 cum versu antecedente, prius poni omnino opus erat. Attamen hac libertate etiam alii poetae quamvis raro usi sunt[3]). cf.

Tib. I 2, 96: despuit in molles et sibi quisque sinus.
Ov. trist. V 7, 24: absit ab invisis et tamen umbra locis.
ib. ex Ponto I 4, 20: ante meum tempus cogit et esse senem.

---

1) Birt, Jugendv. u. Heimatpoesie Vergils, Lips. a. 1910, p. 110 sq.

2) de *quod potui* sim. cf. quae dixit Birtius in mus. Rhen. tom. 59, p. 442 sqq.

3) cf. Haupt, opusc. I, p. 122 sqq.

144. non umquam sitiens, florida semper eris.

non umquam] pro *numquam* positum saepius occurrit. cf.

Verg. ecl. I 35:

non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat.

ib. Aen. II 247: ora dei iussu non umquam credita Teucris.

Ciris 154: non umquam violata manu sacraria divae.

Paneg. Mess. 157:

quippe ubi non umquam Titan super egerit ortus.

Ov. met. VIII 837:

utque rapax ignis non umquam alimenta recusat.

Catull. 23, 23: non umquam digitum inquinare possis.

Prop. II 5, 27:

scribam igitur, quod non umquam tua deleat aetas.

ib. II 26, 41. I 6, 23.

c. Lydia, 29: vaccula non umquam secreta cubilia captans.

cf. etiam Sen. Troad. 4 et Phaedr. 219.

Elegia in Maecenatem II.

1 et 2. sic est Maecenas fato veniente locutus
frigidus, et iam iam cum moriturus erat.

frigidus] cum *fato veniente* artissime coniungendum neque interpunctione post *locutus* interiecta a versu antecedente separandum esse censeo. *Frigidus* enim verbis *fato veniente* diligentius explicatur.

fato veniente] hanc mortis appellationem non a poeta ipso inventam esse notat Lillge[1]) afferens hos locos:

Ov. met. VII 605: . . . mortisque timorem
morte fugant, ultroque vocant venientia fata.

ib. fast. VI 535: nunc, ait, o vates, venientia fata resigna.

iam iam] „Gemination nennt man die unmittelbare Wiederholung ebendesselben Wortes, z. B. magis magis, iam iam . . . Sie findet sich besonders in der gehobenen Poesie, in sorgfältig ausgearbeiteten Reden, bei den Historikern weniger in der Erzählung als in den orat. Partien. . . Bei manchen Geminationen hat die Sprache in ihrer Entwicklung einen Unterschied zwischen asyndetischer und kopulativer Fügung und im letzteren Falle im Gebrauch der Konjunktionen selbst hervortreten lassen, z. B. ist in *magis magisque* die Kopula spätere Zutat, ebenso überwiegt *iam iam* in archaïscher Latinität“ [2]).

---

1) cf. Lillge, l. c. p. 40.

2) Stolz et Schmalz, l. c. p. 480 sq. cf. etiam E. Woelfflin, acta academ. Bavar. a. 1882, I p. 469 sq.

iam iam et *iam iamque* in eodem versu legimus apud Catullum: carm. 63, 73:

iam iam dolet quod egi, iam iamque paenitet.

„*Iam iamque* de eo dicitur, quod proxime eventurum est vel exspectatur vel hoc ipso tempore statim adest. Nos: „im nächsten Augenblick, in diesem Augenblick". Nec differt duplicatum a simplici *iam* nisi gravitate et distinctiore significatione. Sed per maiorem istam vim efficitur, ut *iam iam* . . . , ubi de imminente aut futura re dicitur, proxime futurum intelligatur"[1]). Conferas quaeso hos locos:

Ov. met. XII 588 sq.:

ecquid, ubi hos iam iam casuras aspicis arces,
ingemis?

ib. trist. I 2, 20: iam iam tacturos sidera summa putes.

Verg. Aen. VI 602 sq.:

quo super atra silex iam iam lapsura cadentique
imminet adsimilis.

Ov. heroid. X 83; fast. III 806.

cum] hic postpositum est. In coniunctionibus collocandis poetae libertate quadam suo iure utuntur. „Die dichterische Sprache hat ihre eigene Wortstellung, die unter dem Zwange des Metrums, namentlich in der Setzung der Konjunktionen sich mancherlei herausnimmt, was die Prosa nicht zuläßt"[2]). Cuius rei exempla afferre non mihi opus videtur esse.

---

3 et 4. mene, inquit, iuvenis primaevi, Iuppiter, ante
augustam Drusi non cecidisse fidem.

Drusi] coniectura pulcherrima Francii, quem est secutus I. Fr. Gronovius[3]) in annotatione ad Senecae consolationem ad Marciam, ubi dicit: „eius (sc. Drusi) augusta et sacra fides, is ab Octavio Augusto tantum non sublatus, certe educatus: hunc

1) Hand, tursellinus, III p. 156 sq.

2) Stolz et Schmalz, l. c. p. 464 sq.

3) I. Fr. Gronovius, Luc. A. Senecae opera omnia ed., Lugd. Bat. a. 1649, tom. IV, p. 43.

opportune mallet sibi superstitem fuisse Maecenas, non Brutum, cuius in Caesarum domo utique damnata et ingrata memoria". Omnes vero codices praebent *Bruti*. Eodem modo quo hic a librariis peccatum esse apud Velleium Paterculum annotat Burmannus:

Vell. Paterc. II 125, 4: . . ita Drusus . . prisca antiquaque severitate usus ancipitia sibi maluit tenere quam exemplo perniciosa.

Quo loco et apographum Amerbachii et editio princeps Basil. praebent *Brutus*. Drusi autem nomen pro inepto Bruti nomine recte restituit primus Gelenius. De Druso in huius elegiae versu 4 agi inde quoque firmari licet, quod in versu 6 verba *Caesaris illud opus* nobis occurrunt, quae ipsa verba in consolationis ad Liviam versu 39 de Druso dicuntur.

augustam] praebent codices A et R, *angustam* (*-stũ* B) ceteri. Litterae *n* et *u* a librariis nimirum saepe confunduntur. Me iudice *augustam* recta est lectio; nam *angusta fides* sensu caret. Heinsii autem coniecturam *diem* pro *fidem*, quam nonnulli editores in textum receperunt, repudio. Nam *augustus* significat idem quod *magnificus* vel *mirabilis*; quo de significatu hos locos velim conferas:

Stat. Theb. XII 281:

votum immane procis spesque augustissima gentis.

Plin. paneg. 60: vis illud augustissimum consulum tribunal aliquando maiestati suae reddere?

Claud. paneg. de IV cons. Honor. 519:

. . augusti maiestas grata pudoris.

Ergo *ante augustam fidem* significat: *ante Drusum, cuius fides erga Caesarem maxime fuit spectata*, ita Meyer recte annotat l. c. ad hunc versum. Pro eo quod est *ante Drusum* poeta dicit *ante augustam fidem Drusi.* Qua de figura *periphrasis* quae vocatur verba fecit Quintil. inst. orat. VIII 6, 59: *Pluribus autem verbis cum id, quod uno aut paucioribus certe dici potest, explicatur, periphrasin vocant, circuitum quendam eloquendi, qui nonnumquam necessitatem habet, quotiens dictu*

deformia operit, ut Sallustius ad requisita naturae, interim ornatum petit solum, qui est apud poetas frequentissimus:
[Verg. Aen. II 268 sq.]

tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
incipit et dono divum gratissima serpit

et apud oratores non rarus, semper tamen adstrictior. quidquid enim significari brevius potest et cum ornatu latius ostenditur, periphrasis est, cui nomen latine datum est non sane aptum orationis virtuti circumlocutio. Notissima sunt huius rei exempla ex Homero sumpta[1]):

Il. XVIII 117: βίη Ἡρακλῆος
ib. XI 268: μένος Ἀτρεΐδαο
ib. XXIII 720: ἴς Ὀδυσῆος.

cf. hos quoque locos:

Verg. Aen. IV 584 sq.:
et iam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Horat. carm. I 12, 49: gentis humanae pater atque custos
orte Saturno[2]).

primaevi] hoc adiectivum invenitur apud Catullum, Vergilium, Lucanum, postea apud Valerium Flaccum, Nemesianum, Claudianum:

Cat. 64, 400: optavit genitor primaevi funera nati.
Verg. Aen. IX 545: . . quorum primaevus Helenor.
ib. X 345: hic Curibus fidens primaevo corpore Clausus advenit eqs.
Lucan. VI 562: illa genae florem primaevo corpore volsit.

mene . . . non cecidisse] absolutus accusativus cum infinitivo. „Wie in aufgeregter Rede häufig der Objektsakkusativ allein, z. B. Cic. Verr. IV 12: *cupidinem Praxitelis HS ducentis!* oder mit angefügtem Prädikativum, z. B. Cic. ad Attic. II 14, 23: *occasionem mirificam!*, ohne das regierende Verbum gesetzt wird, so auch der accusat. cum inf. Dabei wird manchmal

1) cf. etiam M. Rothstein, Propert. edit., adn. ad I 13, 23.

2) cf. R. Volkmann, Rhetor. d. Griech. u. Römer, Lips. a. 1885², p. 435 sq.

wie in unwilligen Fragen -ne an das Tonwort angehängt“ [1]). Saepe suppleri potest: *nonne indignum, mirum est? num credibile est?* Qui infinitivus exclamationis vel indignantis qui vocatur nobis occurrit iam in prisca latinitate; haec exempla indagare potui:

Naev. Tarent. v. 72 sq.:

quae ego in theatro hic meis probari plausibus,
ea non audere quemquam regem rumpere.

Terent. Andr. 245:

adeon hominem esse invenustum aut infelicem
quemquam, ut ego sum?

ib. v. 689; 716; 879 sq. Plaut. Bacch. v. 152; ib. Capt. 783.

Verg. Aen. I 37 sq.:

. . . mene incepto desistere victam
nec posse Italia Teucrorum avertere regem?

Hor. sat. II 4, 83 sq.:

ten lapides varios lutulenta radere palma
et Tyrias dare circum illuta toralia vestis.

ib. II 8, 67; I 9, 72 sq. epod. VIII 1 [2]).

---

5. pectore maturo fuerat puer, integer aevo.

integer aevo] ad hunc versus exitum cf. Verg. Aen. II 638; ib. IX 255. Ov. met. IX 441 [3]).

---

6. et magnum magni Caesaris illud opus.

magnum magni] cf. Catalept. IX 3:

victor adest, magni magnum decus ecce triumphi.

illud] abundat non modo hic, sed etiam in consolationis ad Liviam versu 39 neque scriptum videtur esse nisi versus explendi causa. Comparari possunt loci qui sequuntur:

Tib. III 4, 26: (iam a Lillge, l. c. p. 13 allatus)

. . . humanum nec videt illud opus.

---

1) Stolz et Schmalz, l. c. p. 295.

2) cf. Heindorf, annot. ad Hor. sat. I 9, 72.

3) Lillge, l. c. p. 15.

Ov. trist. III 14, 21 sq.:

illud opus potuit, si non prius ipse perissem,
certius a summa nomen habere manu.

ib. trist. II 328: illud erat magnae fertilitatis opus.
ib. fast. I 564: vix iuga movissent quinque bis illud opus.
ib. ex Pont. III 4, 28: iuvissent aliqua forsitan illud opus.
ib. fast. III 717 sq.; met. XV 750[1]).

---

7. discidio vellemque prius — non omnia dixit.

vellemque] *que* particula secundo demum versus et sententiae verbo adiecta. cf. quae dixi ad prioris elegiae versum 94. Ceterum hoc in versu habemus aposiopesin cuius loco *me mortuum esse* vel simile aliquid supplendum erit.

---

8. inciditque pudor quae prope dixit amor.

prope] intellege: prope erat ut diceret amor. Similiter Horat. carm. III 8, 7: prope funeratus arboris ictu.

---

9 et 10. sed manifestus erat: moriens quaerebat amatae
coniugis amplexus oscula verba manus.

manifestus] hic significat, ni fallor: „Durch augenscheinliche Beweise, äußere Anzeichen überführt". Cuius significationis exempla habeo haec:

Plaut. Menaech. 594:

nec magis manufestum ego hominem umquam nullum teneri vidi.

Nux eleg. v. 3: obruere ista solet manifestos poena nocentes. Quod vero attinet ad sententiarum contextum, versus 9 non ita arte cum versibus antecedentibus coniunctus mihi quidem videtur esse; nam omissa est haec fere sententia: Discidii memoria uxoris amorem minime mutavit; rem ita se habere vel inde apparuit, quod *moriens quaerebat amatae coniugis amplexus* eqs. Similis autem versus exitus hic est:

Stat. silv. V 1, 176: ... moriens solatur amantem.

---

1) cf. etiam Lillge, l. c. p. 29 et adnot. 2.

amplexus oscula verba manus] asyndeton enumerativum[1]) quod nominatur in prosa quidem oratione nobis occurrit imprimis apud Ciceronem, praeterea apud Sallustium, Livium, Tacitum, Plinium iuniorem. Exempla vero ex Ciceronis scriptis sumpta affero haec:

Cic. de fin. I 13, 44: ex cupiditatibus odia, discidia, discordiae, seditiones, bella nascuntur.

Cic. ad fam. X 1, 3: omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam ad amplitudinem tuam conferamus[2]).

Huc pertinent hi quoque versus:

Plaut. Pseudol. 166:

pernam, callum, glandium, sumen facito in aqua iaceant.

ib. Rudens, prolog. 23: Iovem se placare posse donis, hostiis.

Terent. Andr. 676: conari manibus pedibus noctisque et dies.

Catull. 63, 40: lustravit aethera album, sola dura, mare ferum.

ib. v. 59: patria, bonis, amicis, genitoribus abero?

Differt hic locus: ib. v. 63:

ego mulier, ego adulescens, ego ephebus, ego puer eqs., quia accedit *ego* repetitum per anaphoram. Differunt adiecta copula hi quoque loci qui sequuntur:

Ov. met. II 354:

perque gradus uterum pectusque umerosque manusque.

Verg. Aen. VI 683:

fataque fortunasque virum moresque manusque.

Adde Ov. met. III 109; 166. VII 197. IV 592 sq. V 432. VI 688.

Itaque illud asyndeton enumerativum quod habet elegiae Maecenatis versus 10 a tota poesi Augustea prorsus alienum est. Sed similia habet Seneca[3]) in tragoediis, qui Seneca aequalis fuisse videtur huius poetae, de quo agimus. cf. hos versus:

---

1) cf. Draeger, l. c. II, p. 193 sqq. — Kühner, l. c. II p. 749. — Norden, E., de Minucii Felicis aetate et genere dicendi, Gryphisw. a. 1897, p. 29 sq.

2) cf. etiam Lillge, l. c. p. 66.

3) cf. etiam Stolz et Schmalz, l. c. p. 492.

Hercul. fur. 1259 sq.:

... cuncta enim amisi bona,
mentem, arma, famam, coniugem, natos, manus.

Troad. 960 sq.: ... sola nunc haec est super
votum, comes, levamen afflictae, quies.

Med. 488: tibi patria cessit, tibi pater, frater, pudor.
Oed. 652: Letum Luesque, Mors, Labor, Tabes, Dolor.
Agam. 112: periere mores ius decus pietas fides.
Thyest. 52: misce penates, odia caedes funera.
ib. 215 sqq.: ... *Sat.* ubi non est pudor
nec cura iuris sanctitas pietas fides,
instabile regnum est. *Atr.* sanctitas pietas fides
privata bona sunt.

Redeo ad Maecenatis elegiam. Locos, quibus similes sententiae atque in versibus 9 et 10 exstant, Lillge [1]) et Vollmer [2]) collegerunt.

---

12. et morior dixit, dum moriorque, satis.

satis] hanc omnium fere codicum lectionem suo iure primus in textum recepit Ribbeckius. Vocula *est* in pentametri fine omissa est, quae scilicet suppleri potest ex versu antecedente:

sed tamen hoc satis est: vixi te, Caesar, amico.

Apud Martialem *satis* in pentametri versus fine non omissa sane vocula *est* occurrit his locis: Mart. II 90, 4; VI 60, 6; 89, 9; VII 82, 2. Vocula *es* iuxta *satis* omittitur in Aetnae carminis versu 85:

nec tu, terra, satis ...

„Der Dichter des Ätna läßt überhaupt *est* mit Vorliebe fehlen, wo es nicht dazu dient, das Metrum zu füllen oder zu stützen" [3]). Duriorem autem verbi *esse* ellipsin habemus his locis:

Stat. silv. I 1, 14:
adde quod ille nocens saevosque amplexus Achivos (sc. est) [4]).

---

1) Lillge, l. c. p. 52.
2) Vollmer, Stat. silv. edit., Lips. a. 1898, adn. ad II 1, 148.
3) Birt, Philolog. tom. XI, a. 1898, p. 622.
4) cf. quae dicit Vollmer in comment. supra cit. ad hos versus.

ib. III 3, 158 sqq.:

... attonitum et venturi fulminis ictus
horrentem tonitru tantum lenique procella
contentus monuisse senem, ... (sc. eras)
et Diomedeas concedere iussus in arces (sc. est)
atque hospes, non exul erat [1]).

Porro hi versus comparari possunt:

Stat. silv. I 2, 169 sq.: ... satis o nimiumque priores
despexisse procos.

ib. I 5, 6 sqq.:

Naidas, undarum dominas regemque corusci
ignis adhuc fessum Siculaque incude rubentem
ilicuisse satis.

ib. Theb. IX 812 sq.: hactenus Ogygias satis infestasse catervas
Parthenopaee, satis.

ib. VII 367: hoc satis, et fessum vita dimittite, Parcae.

Porro Sil. Ital. VI 609; VII 405; IX 521; XIII 850 [2]).

Iam vero premendum est omnia haec exempla me invenisse apud scriptores, qui post Augusti aetatem fuerunt. Praeterea autem id quoque in elegiae versu 12 offendit, quod haec una vocula *satis* totam apodosin explet.

dum moriorque] *que* particula non primo sententiae verbo adiecta; cf. quae dixi ad prioris elegiae versum 94. Praeterea adscribere mihi liceat quae hac de re dicit E. Bednara [3]): „Praecipue coniunctio *que* ante voces iambicas ponitur ad commodam pentametri clausulam efficiendam:

Ov. a. a. III 675 sq.: ..... suspiret ab imo
femina tam sero cur veniatque roget [4]).

ib. am. III 13, 30: ipsa sacerdotes consequiturque suas.

---

1) cf. quae dicit Vollmer in comment. supra cit. ad hos versus.

2) cf. Winter, Th., de ellipsi verbi *esse*, Marp. a. 1907, p. 28. — Plew, Herm., de ellipsi verbi cop. *esse* etc. in program. Tilsit. a. 1877, p. 16.

3) E. Bednara, Archiv f. lat. Lexikogr. XIV (a. 1906), p. 327.

4) cf. Boldt, H., de liberiore ling. gr. et lat. coll. verb., Gotting. a. 1884, p. 62.

Quae insolens coniunctionis *que* collocatio iam ab Horatio [1]) adhibita in finem pentametri translata est cum a Tibullo tum ab Ovidio, cum Propertius et Lygdamus eam non noverint; neque apud Catullum mihi ullum exemplum occurrit".

Attamen aliud superest quod aegre ferimus; nam Maecenatis laudator ad illud *dum moriorque* flagitat ut suppleamus *te amico*. Hic enim sensus loci est, scilicet: *et satis est, dum te amico morior*.

---

14. cum dicar subita voce fuisse tibi.

fuisse] hic pro *mortuum esse* adhibitum est; qua de verbi *esse* significatione conferas hos versus [2]):

Lucret. III 915:

iam fuerit neque post umquam revocare licebit.

Verg. Aen. II 325 sq.:

. . fuimus Troes, fuit Ilium et ingens
gloria Teucrorum [3]).

---

15. hoc mihi contingat: iaceam tellure sub aequa.

hoc mihi contingat] haec verba in versus initio non ita raro occurrunt [4]); cf. Tib. I 1, 49; ib. I 3, 33. Ov. am. III 2, 9.

tellure sub aequa] significat, ni fallor, „unter der (alles) gleichmachenden Erde", ut vernacule loquimur. Quam adiectivi *aequus* significationem habemus his quoque locis:

Gratt. cyneg. 292 sq.:

iamque illum impatiens aequae vehementia sortis
extulit.

Stat. Ach. I 252; Val. Flacc. IV 113; Avien. Arat. 375.

Sen. Herc. Oet. 216: quos in tutum mors aequa tulit. ib. Troad. 434.

---

1) cf. Fr. Leo, quaustiones philolog. II, p. 26 sq.

2) cf. Winand, B., vocab. lat. quae ad mort. spect. hist., Marp. a. 1906, p. 29 sq.

3) cf. etiam Aem. Ackermann, de Sen. Hercul. Oet., Marp. a. 1905, p. 56.

4) cf. Lillge, l. c. p. 13.

Stat. Theb. XI 282 sq.: . . . . . illos tamen aequa duelli
fors tulit ad manes.

ib. III 191 sq.: una dies similis fato specieque malorum
aequa fuit.

ib. VI 172 sq.: . . sic aequa gemant mihi funera matres
Ogygiae.

---

16. nec tamen hoc ultra te doluisse velim.

doluisse] coniectura est praeclara Heinsii, sine dubio recta. *Potuisse* enim quod omnes codices exhibent, sensu cassum est. Huc accedit, quod librarii *potuisse* et *doluisse* facile confundere poterant. Illud *doluisse* in textum receperunt Baehrensius, Ribbeckius, Riese, Vollmer. Hic versus „respicit ad solitam in re funebri formulam, *de quo nil doluit nisi mortem,* quae in epitaphiis sepulcralibus frequens occurrit" [1]). Ex locorum numero, quos affert Burmannus, hos enumero:

Ov. trist. IV 10, 83 sq.:
me quoque felicem, quod non viventibus illis
sum miser, et de me quod doluere nihil.

ib. I 2, 37 sq.:
at pia nil aliud quam me dolet exule coniunx:
hoc unum nostri scitque gemitque mali.

Prop. III 12, 13:
neve aliquid de te flendum referatur in urna.

ib. IV 11, 56: in me mutatum quid nisi fata velis? [2]).

---

17. sed meminisse velim: vivam sermonibus illic.

illic] hoc adverbium ad loca quae nos dum vita fruimur incolimus non nisi hoc in versu spectare videtur. Semper enim e contrario ad inferos respicit *illic* locis his:

Prop. I 19, 7 sq.: illic Phylacides iucundae coniugis heros
non potuit caecis immemor esse locis.

---

1) Burmannus, l. c. adnot. ad hunc versum.

2) cf. etiam Lillge, l. c. p. 52 sq.

ib. I 19, 11: illic, quidquid ero, semper tua dicar imago.
Tib. I 10, 37 sq.: illic perscissisque genis ustoque capillo
errat ad obscuros pallida turba lacus.
ib. I 3, 65: illic est, cuicumque rapax mors venit amanti.
Ov. met. XIII 25 sq.:
Aeacus huic pater est, qui iura silentibus illic
reddit.

Ut his in versibus *illic* sic apud Graecos ἐκεῖ de inferis dictum invenitur[1]: cf. Soph. Ant. v. 76; ib. Aias 855; 1372. Electr. 356.

---

19. et decet et certe vivam tibi semper amare.

amare] sic legendum puto codicibus BMAV testibus. Sane verba quae legimus post *decet* usque ad *semper* in parenthesi collocare possis; quod si faceremus, infinitivus *amare* penderet ex *decet*. Sed cum haec parenthesis prorsus inhabilis sit atque quominus oratio bene procedat impediat, fortasse pro *et certe vivam* legendum est *ut certe vivam*, quae Birtii coniectura est. *Certe* vero significat „sicher". Itaque vertendum est: „Damit es sicher ist, daß ich Dir immer gehöre, mußt Du mich so sehr lieben". Sic igitur interpungo: *et decet, ut certe vivam tibi semper, amare.*

---

21. ipse ego quidquid ero cineres interque favillas.

cineres interque favillas] „Die Präposition, welche zu mehreren Substantiven gehört, wird im Altlatein vor jedem Substantiv wiederholt, selten wird die Präposition nur vor das erste gesetzt. Die Stellung der Präposition nach dem ersten Substantiv hat Accius eingeführt und Lukrez sehr begünstigt, von ihnen haben sie Catull, Vergil, Horaz, Ovid übernommen, z. B. Hor. ep. I 4, 12: *timores inter et iras*"[2]. Conferas quaeso locos qui sequuntur:

Verg. Aen. II 632 sq.:
descendo, ac ducente deo flammam inter et hostis
expedior.

---

1) cf. Fr. Passow, opusc. academ., Lips. a. 1835, p. 91 sq.
2) cf. Stolz et Schmalz, l. c. p. 279.

ib. V 151 sq.: effugit ante alios primisque elabitur undis
turbam inter fremitumque Gyas.

ib. IV 256: haut aliter terras inter caelumque volabat.

ib. X 777 sq.:
. . at illa volans clipeo est excussa proculque
egregium Antoren latus inter et ilia figit.

consol. ad Liv. 235:
iste meus periit, periit arma inter et enses.

Prop. III 11, 46: iura dare et statuas inter et arma Mari.

Cul. v. 23: te cultrice vagus saltus feror inter et antra.

Sed omnes hi loci allati plane differunt ab elegiae versu 21, ubi scilicet non *et* sed *que* particula praepositioni *inter* adiuncta est. Differunt vero etiam hi versus, in quibus praepositio *inter* non semel sed bis adest:

Paneg. Mess. 165:
fertilis hanc inter posita est interque rigentes.

Prop. II 31, 15:
deinde inter matrem deus ipse interque sororem.

Exemplum igitur quod huic elegiae versui respondeat omnino non invenitur.

quidquid ero] frequens formula. cf. Prop. I 19, 11; I 11, 26. Ibis 153. Ov. am. III 11, 49. Verg. georg. I 36.

---

23 et 24. exemplum vixi te propter molle beate,
unus Maecenas teque ego propter eram.

propter] cf. quae hac de praepositione dixi ad prioris elegiae versum 11.

beate] adverbium quod omnes codices praebent, referendum est ad *vixi;* sensus autem hic: „Ich habe in Deiner Nähe als ein Beispiel der mollities gelebt und mich dabei glücklich gefühlt". Sane homoeoteleuton illud quod nominant *molle beate* pulcherrimum esse ego quidem non dixerim. Ceterum rarissime apud poetas latinos in usu versatur ipsum *beate* adverbium, quod non nisi apud Catullum et Martialem occurrere video. cf.

Catull. 14, 10: non est mihi male sed bene ac beate.
ib. 23, 15.

Mart. I 103, 3:

qualiter o vivam, quam large quamque beate.

ib. II 27, 3.

unus] sic legendum puto testibus codicibus, id quod ad sensum optime quadrat: „Und deinetwegen“ vel „in Deiner Nähe war ich der einzige Mäcen“, ut vernacule dicimus. Qua de causa Maehlii coniectura *unctus* pro *unus,* quae a Riesio atque Vollmero in textum recepta est, mihi probabilitatis ne umbram quidem habere visa est.

exemplum molle] cf.

cons. ad Liv. 13:

occidit exemplum iuvenis venerabile morum.

Anthol. lat. epigr. (ed. Buech.) 423, 1:

exemplum periit castae, lugete, puellae.

ib. 437, 15: exemplum laudis vixi, dum vita manebat[1]).

Apud Tibullum tres versus esse in quibus *propter* post *te* eodem modo positum est quo in versibus huius elegiae 23 et 24 recte animadvertit Lillge l. c. p. 37 adnot. Sunt hi:

Tib. I 6, 57: non ego te propter parco tibi eqs.

ib. I 6, 65: te semper natamque tuam te propter amabo.

ib. I 7, 25: te propter nullos tellus tua postulat imbres.

teque] de *que* particula tertio demum sententiae verbo adiecta cf. quae dixi ad prioris elegiae versum 94.

---

25 et 26. arbiter ipse fui: volui quod contigit esse,
pectus eram vere pectoris ipse tui.

volui] ita scripsi cum Baehrensio, Ribbeckio, Riesio, Ellisio contra desperatam codicum lectionem *voluit;* Vollmero assentiri nequeo, qui *pectus* subiectum ad *voluit* esse existimans post *pectus* distinxit.

pectus pectoris] sic codices. Maehlium non sequor, qui *sensus eram* etc. legi vult. Ad summam enim designandam amicitiam, qua Maecenas et Augustus coniuncti erant, Maecenas

1) cf. Lillge, l. c. p. 58.

dicit *pectus eram pectoris tui,* vernacule dicas „Ich war deines Herzens Herz“. Similia inveniuntur his locis:

Catal. V 6: tuque o mearum cura Sexte curarum.

rex regum occurrit Cic. ad fam. IX 14, 2 et Liv. XLV 27,9.

Sen. Agam. v. 39:

rex ille regum, ductor Agamemnon ducum.

Jul. Flor. II 26: Moesi quam feri, quam truces fuerint, quam ipsorum etiam barbari barbarorum horribile dictu est.

ib. I 22: saevitum in urbes urbemque urbium Caralim.

Ex poetis Graecis haec afferre possum:

Aesch. Suppl. 524 sqq.: *ἄναξ ἀνάκτων, μακάρων*
μακάρτατε καὶ τελέων
τελειότατον, κράτος ὄλβιε Ζεῦ.

ib. Pers. 666: *δέσποτα δεσπότου φάνηθι.*

ib. v. 681: *ὦ πιστὰ πιστῶν ἥλικές ϑ' ἥβης ἐμῆς*
Πέρσαι γεραιοί.

Soph. Oed. rex, 464: *τίς ὅντιν' ἁ ϑεσπιέπεια Δελφὶς εἶπε πέτρα*
ἄρρητ' ἀρρήτων τελέσαντα φοινίαισι χερσίν;[1])

Denique ex nostra lingua comparari possunt haec:

du wunsches wunsch (Frauenl. 349, 6).
knehtes kneht (j. Tit. 4242)[2]).

Goethe, Westöstl. Diwan, Buch Suleika, „Wiederfinden“:

Ist es möglich! Stern der Sterne,
Drück' ich wieder Dich ans Herz!

Goethe, „An Mignon“ v. 22 sqq.:

Niemand ahnet, daß von Schmerzen
Herz im Herzen
Grimmig mir zerrissen ist.

---

27. vive diu, mi care, senex pete sidera sero.

Quod votum saepius apud poetas Romanos occurrit[3]).

---

1) cf. Haupt, ind. lect. aest. Lips. a. 1859 (= opusc. II p. 154 sqq.). Pascal, C., Rivista di filologia, tom. 36, a. 1908, p. 408 sqq. Idem, ibid. tom. 37, a. 1909, p. 380 sq.

2) Jacob Grimm, Deutsche Grammatik, Guetersl. a. 1898, tom IV, paragr. 726, 10.

3) cf. Lillge, l. c. p. 30 sq. et 37.

29. et tibi succrescant iuvenes bis Caesare digni.

bis Caesare digni] C. et L. Caesares, Agrippae filii, ab Augusto adoptati. Quo vero referendum erit illud *bis?* Si spectat ad *digni,* quid significat *bis digni?* Ac primum quidem interpretationes proferre mihi liceat quas inveni apud viros doctos.

H. Norisius[1]): „Gaium et Lucium Caesares, quos optat adolescere bis Caesare dignos, nempe tum sanguinis coniunctione, tum virtutum similitudine, patre Augusto dignissimos".

Scaliger[2]): „bis Caesare dignos dicit, primum quod Agrippae generi Augusti filii, deinde quod ab ipso Augusto adoptati".

Gorallus[3]): „Malim non alia de causa bis dignos dici Caesare nisi quod duo essent; qui si in viros fortes evaderent, Iulia dici potuisset bis peperisse Caesare dignos".

Sed haec omnia acutiora quam vera esse sentio. Sequitur ut *bis* cum verbo *succrescant* coniungamus; sed hoc quoque sensus impedire videtur; nam illud si fieret, exspectaremus numerum singularem: *tibi bis succrescat iuvenis Caesare dignus.* Itaque alia ratione interpretabor. Constat enim *ter* vel *terque quaterque* vel *quater* cum adiectivi positivo iunctum significare superlativum; cuius rei exempla affero haec:

Ov. met. VIII 51 sq.:
o ego ter felix, si pennis lapsa per auras
Gnosiaci possem castris insistere regis.

Verg. Aen. I 94: . . . o terque quaterque beati.

Tib. III 3, 26: o mihi felicem terque quaterque diem.

ib. I 10, 63 sq.: . . . quater ille beatus
quo tenera irato flere puella potest.

Ov. ars amat. 447 sq.:
o quater et quotiens numero comprendere non est
felicem, de quo laesa puella dolet.

Prop. III 12, 15:
ter quater in casta felix, o Postume, Galla!

---

1) H. Norisius, Cenotaph. Pisana G. et L. Caesarum diss., Ven. a. 1681, p. 100 sq.

2) Scaliger, P. Vergilii Mar. append. etc., Lugd. a. 1573, adn. ad versum 29.

3) Pedonis Albinovani eleg. III etc., Amst. a. 1703, adn. ad v. 29.

Sen. Phaedr. 694 sqq.: o terque quaterque prospero fato dati
quos hausit et peremit et leto dedit
odium dolusque.

Hac igitur vocabulorum *ter* vel *terque quaterque* vel *quater* usurpatione comparata fortasse intellegi potest voculae *bis* significatio, quae nobis hic obvia est. Idem enim *bis digni* significat quod *dignissimi*. Sane licet opinari poetam illam voculam *bis* elegisse propterea quod C. et L. Caesares tecte significare voluerit.

Ceterum simili modo quo in elegiae versu 29 vocula *bis* adhibita est his in Plauti versibus:

Plaut. Amphitr. 943:
bis tanto amici sunt inter se quam prius.

ib. Merc. 297: immo bis tanto valeo quam valui prius.

---

31. sit secura tibi quam primum Livia coniunx.

sit secura] „sc. de stirpe tua, per Tiberium etiam propaganda“, ut recte interpretatur Gorallus. Nam in sequenti versu gener „Tiberius intellegendus qui mortuo Agrippa Iuliam duxerat“; ita bene Wernsdorfius l. c. in adnotatione ad hunc versum. *Quam primum* igitur significat „möglichst bald“.

---

32. expleat amissi munera rupta gener.

rupta] hic eandem significationem habet quam *abrupta* vel *interrupta* (sc. morte). *Rumpere* vero loco *abrumpere* vel *interrumpere* positum est his locis, quos conferas quaeso:

Verg. Aen. VIII 110 sq.:
. . . . audax quos rumpere Pallas
sacra vetat raptoque volat telo obvius ipse.

ib. VII 458 sq.:
olli somnum ingens rumpit pavor, ossaque et artus
perfundit toto proruptus corpore sudor.

Sen. Troad. 785: . . . rumpe iam fletus, parens.

Ov. am. III 6, 88: . . quid coeptum, rustice, rumpis iter?

Tib. II 3, 19sq.:

o quotiens ausae, caneret dum valle sub alta,
rumpere mugitu carmina docta boves!

---

33. cum deus intereris divis insignis avitis.

intereris] *intersis* pro codicum lectione *in terris* legi iussit Ribbeckius. Vollmer autem, quem secutus sum, scripsit *intereris*. Nam littera *e* inter duos *r* facilius ni fallor omitti poterat a librariis. Molestissimus autem hoc in hexametro sigmatismus observatur.

De re metrica.

His peractis progrediamur ad illam quaestionis huius partem, qua exponam, quid de elegiarum in Maecenatem re metrica ad eam diiudicandam disci possit. Praemonendum vero est me facere non posse ut totam carminum rationem metricam absolvam. Nonnulla tantum quae mihi utilia videntur esse tractabo.

Ac primum quidem agam de ratione atque usu vario caesurarum, deinde de spondeorum distributione, tum de pentametrorum clausulis. Sed cum ars metrica uniuscuiusque carminis bene et recte aestimari non possit, nisi comparatur cum ratione aliorum poetarum, ego quidem non modo Ovidii tristia et ex Ponto epistulas ascivi, sed etiam epicedion Drusi, quo de carmine in prima quoque huius dissertationis parte verba feci, atque nonnulla carmina minora. Non parvo mihi commodo ad ea quae scripsi componenda fuerunt hi libri qui in universum de hexametri latini legibus agunt:

Mueller, L., de re metrica, Petrop. et Lips. 1894².

Birt, Th., ad historiam hexametri latini symbola, diss. Bonnae a. 1876.

Meyer, Guilh., zur Geschichte des griech. und latein. Hexameters, act academ. Bavar. a. 1884, p. 979—1089; ibidem a. 1889, p. 228 sqq.

Eichner, Ernest., de poetarum lat. . . . distichis quaestionum metric. partic. duae, diss. Vratisl. a. 1866.

Idem, Bemerkungeu über den technischen Bau etc. in programmate, Gnes. a. 1875.

Hilberg, Isid., Vorläufige Mitteil. über d. Tektonik des lat. Hexameters, act. XXXIX. conv. philologorum, Tigur. a. 1887, p. 232 sqq.

La Roche, J., Der Hexameter bei Vergil, stud. Vindobon. ann. XXIII (i. e. a. 1901), p. 121 sqq.

Sylla, Franc., qua ratione poetae vet. Romani in hex. lat. sensus interstitium collocaverint, diss. Vratisl. a. 1906.

Mirgel, Hub., de synaloephis et caesuris in versu hex. lat., diss. Gotting. a. 1910.

Quae commentationes praeterea usui mihi erant, singulas suo loco commemorabo.

De caesuris*).

His praemissis ad rem metricam ipsam accedamus et quomodo in elegiarum atque in epicedii versibus caesurae adhibitae sint videamus.

---

*) Caesura quid sit vix dubitare licet; nam nemo non probabit Muelleri verba: „caesura semper finito declaratur verbo" (l. c. p. 199). De caesurae autem officio Birtius l. c. p. 7 haec dicit: „Hanc igitur dicendum est ab eo (i. e. Ennio) heroicis caesuris vim esse attributam idque officium, ut incitarent certamen inter metricum accentum atque grammaticum. Ex quo enim primus hic versus factus est:

Musae quae pedibus magnum pulsatis Olimpum,

duos imprimis qui semiquinariae antecedunt semipedes huic certamini tribuit omnis Latinitas".

Iam vero quaeritur, quid censendum sit de elisionibus, quae exstant in caesuris. Meyer quidem (l. c. a. 1884, p. 1047) haec dicit: „Für den Hexameter hat Lachmann (zu Lukr. VI 1067) schon behauptet, Verse wie *Complerunt magno indignantur murmure clausi* oder *Quem modo felicem invidia admirante ferebant,* entbehrten nicht der regelmäßigen Cäsur. Dieser Ansicht Lachmanns schließe ich natürlich mich an. Daraus folgt aber, daß ich diese Regel auch für die anderen Cäsuren festhalte. In Versen, wie

a) Iustitia inviolata malis placidissima virgo
b) Nec taedebit avum parvo advigilare nepoti
c) Cum sic unanimam adloquitur male sana sororem,

kann ich demnach nicht die Cäsur nach der 2. (a) oder 4. (b) Hebung unterlassen finden oder mit Sicherheit behaupten, daß in (c) keine Cäsur im 3. Fuß beabsichtigt sei". Qua de re virum doctum recte iudicavisse persuasum non habeo. Nam mea quidem sententia, ut A. Fortmannii verbis utar (quaestiones in Lucanum metr., diss. Gryphiae a. 1909, p. 48),

Birtius quidem (l. c. p. 7 et 11. cf. etiam L. Friedlaenderi edit. Mart. epigrammat., Lips. a. 1886, p. 42 et G. Eskuche in eiusdem

„caesura semiquinaria apud plerosque epicos Latinos summum locum obtinet, locum secundum caesura semiseptenaria occupat, apud Latinos proxima dignitate semiquinariae atque adeo praeter hanc sola legitima (Mueller, l. c. p. 203)“. Si aut caesura semiquinaria aut semiseptenaria in hexametro exstat, has opus est principales agnoscere, illam vero caesuram syllabis colliquescentibus obscuratam omnino neglegi posse puto. Aliter sentiunt: E. Reuter, de Avieni hexametr. re metrica, diss. Bonnae a. 1909, p. 69, et Mirgel, l. c. p. 14 sqq. Facile sane concedo in talibus versibus, in quibus aliae caesurae legitimae omnino desunt, illam caesuram alicuius momenti esse. Hexametri vero huius generis perraro inveniuntur.

Atque simili fere modo eos peccavisse mihi persuasum est, qui caesuram post alteram colliquescentem syllabam exstare censent, quotiens aut *praepositio* aut *in* negativum vocis compositae arsin expleat (cf. Mirgel, l. c. p. 28 sqq.). Qua de re E. Norden (in comment. ad Verg. Aen. VI, Lips. a. 1903, p. 417 adn. 1) suo iure dicit: „Daß eine Reihe von Versen die legitime Cäsur erhalten würde, wenn man die Präpositionen von den Verben absondern wollte, liegt auf der Hand, (z. B. *ad* | *gnovitque, ex* | *itiale*), aber es ist bedenklich, mit P. Sandford (the quasi-caesura in Vergil, Hermath. XXVI, a. 1901, p. 110 sqq.) von diesem Mittel Gebrauch zu machen, denn 1. wohin soll das führen, wenn wir z. B. bei *indulgere, inferiora* und *ingens* das Präfix als selbständig abtrennen wollten? und 2. hat Vergil eben doch keine *inmodulata poëmata* gemacht. Dagegen ist bei Verben mit zweisilbigen Präpositionen wie *interfusa, praeterlabere* mit der Möglichkeit einer selbständigen Geltung der Präposition zu rechnen“.

Quid vero dicendum erit de iis versibus, in quibus *que* particula in tertio trochaeo posita est? Afferre mihi liceat Meyeri verba, quae hac de re facit (l. c. a. 1884, p. 1045 sq.): „Es ist unbestreitbar, daß diese Enklitika (*que*) mit dem Wort, an das sie gehängt wird, in vielen Tausenden von Fällen verschmilzt und mit demselben als ein Wort behandelt wird. Wie viele Verse wären sonst falsch, indem z. B. die 5. Hebung (vgl. *tactumque vereri*) Wortschluß bilden würde! Allein, wie in seltenen Fällen diese Enklitika lang gebraucht wird, so bei einigen Dichtern auch als selbstständiges Wort. Der Beweis liegt in Folgendem. Im klassischen Hexameter ist es Gesetz, daß die weibliche Cäsur im 3. Fuß mit 2 männlichen Cäsuren im 2. und im 4. Fuß verbunden sein muß. Diese Regel hat Lukan in 1543 Versen von 8060 streng beobachtet. Nur in 5 Versen scheint er die Regel verletzt zu haben: I 124 *erigit impatiensque loqui;* I 357. II 459. VII 188. 742; in diesen 5 Versen fehlt die Cäsur nach der 2. Hebung: allein in diesen 5 Versen wird die Senkung der weiblichen Cäsur durch *que* gebildet. Also ist *que* als selbständiges Wort zu behandeln und in diesen 5 Versen männliche Cäsur anzunehmen“.

Friedl. Iuvenal. edit., Lips. a. 1895, p. 76) quem secutus sum, hexametri latini sex statuit formas, quae sunt:

F I: respondit Iuno | Saturnia sancta dearum.
F II: exspectans | si mussaret | quae denique pausa.
F III: ingenium | cum nulla | malum | sententia suadet.
F IV: diripere excussosque | iubet | laxare rudentis.
F V: hinc Drepani | me portus | et inlaetabilis ora.
F VI: et graviora rependit | iniquis pensa quasillis.

In F I primum locum obtinet caesura semiquinaria, ad quam accedere possunt penthemimeres et hephthemimeres aut ambae aut altera ex iis. In F II non nisi trithemimeres et hephthemimeres exstant. F III ea est in qua inter trithemimeren et hephthemimeren etiam post tertium trochaeum interciditur. F II et F III ostendunt hexametrum tripartitum. Satis raro inveniuntur formae IV V VI, quarum F IV eam dico, in qua intercisio adest post tertium trochaeum et hephthemimeres, F V, in qua praeter

---

In hac quoque re me cum Meyero non consentire profiteor. Nam me quidem iudice in talibus hexametris, in quibus particula *que* in tertio trochaeo posita est, regnat aut caesura semiseptenaria coniuncta cum semiternaria et tertia trochaica: cf.

cons. ad Liv. 327: et subito tentasque manu sperasque receptum,

aut caesura semiseptenaria coniuncta cum incisione post tertium trochaeum: cf.

Luc. I 124: erigit impatiensque loci fortuna secundi,

aut semiternaria sequente tertia trochaica: cf.

Avien. III 263: ergo solum terraeque Libystidis ora per austrum.

Fortasse dubitare licet in hoc versu:

Luc. I 11: Ausoniis umbraque errares Crassus inulta,

ubi ego quidem caesuram non nisi semiternariam agnosco (cf. etiam Mueller, l. c. p. 464). Hanc vero sententiam non probant Reuter, l. c. p. 71; Sylla, l. c. p. 25 sq. et p. 39; Mirgel, l. c. p. 6 et 41 sqq. In illis quidem hexametris, quibus caesura legitima omnino deest, particulae *que* diremptio fortasse postulari potest. Sed tales versus perraro inveniri crediderim. cf.

Lucret. III 174: interdumque quasi exsurgendi incerta voluntas.

cons. ad Liv. 379: nata quod alte es quodque es foetibus aucta duobus.

cf. etiam A. Huemer, de Pontii Meropii Paulini Nolani re metr., Vindobon. et Lips. a. 1903, p. 45—57.

intercisionem post tertium trochaeum trithemimeres exstat. In F VI tantummodo post tertium trochaeum intercisum est.

Iam vero transeo ad singulas formas tractandas.

Elegia in Maecenatem I.

F I.

62 versus hac in elegia inveniuntur, qui hanc formam praebent. Huius autem formae quattuor genera secerni possunt:

1) 11 versus praeter penthemimeren etiam trithemimeren exhibent (I 1).

2) 38 versus tantum penthemimeren et hephthemimeren praebent (I 2).

3) In 2 versibus trithemimeres et penthemimeres caesurae sunt (I 3).

4) In 11 versibus sola penthemimeres adest (I 4)[1]).

ad 1. Huius generis versus sunt hi: 1, 7, 15, 17, 25, 55, 61, 67, 71, 77, 105.

ad. 2. Huc pertinent hi versus: 5, 9, 19, 21, 27, 29, 33, 37, 43, 51, 57, 59, 63, 65, 69, 79, 81, 83, 87, 91, 93, 97, 99, 101, 103, 107, 113, 115, 117, 121, 123, 125, 127, 129. 131, 133, 141, 143.

ad 3. Sunt hi versus: 11, 75.

ad. 4. Hoc loco nominandi sunt hi versus: 41, 45, 47, 49, 53, 73, 85, 109, 111, 119, 139.

F III.

10 versus huius formae numero adscribendi sunt: 3, 13, 23, 31, 35, 39, 89, 95, 135, 137.

Exempla formarum II IV V VI omnino desunt. Hexametrum igitur tripartitum ostendunt 10 versus.

Elegia in Maecenatem II.

F I.

Huius modi versus inveniuntur hoc in carmine 15, ex quibus cadunt in formam:

---

1) Hac in re secutus sum Ioseph. Frankium, qui in dissertatione diligentissima de Aetnae carminis re metr. egit, Marp. a. 1898, p. 8 sq.

I 1: 2 versus: 13, 19.
I 2: 10 versus: 1, 5, 9, 11, 15, 17, 21, 25, 29, 33.
I 3: 2 versus: 3, 23.
I 4: 1 versus: 31.

F III.

Hac forma utuntur 2 versus: 7, 27.
Formas II IV V VI frustra in hoc quoque carmine quaeres. Tripartitos igitur hexametros invenies duos.

Consolatio ad Liviam.

F I.

Huius generis hexametros in consolatione inveni 204, ex quibus pertinent ad formam

I 1: 39 versus, sunt hi: 1, 7, 9, 117, 119, 121, 123, 141, 143, 145, 147, 157, 161, 203, 235, 269, 271, 275, 293, 297, 309, 329, 339, 345, 357, 359, 377, 381, 393, 405, 407, 409, 411, 419, 425, 427, 433, 447, 469.

I 2: 57 versus: 13, 19, 23, 27, 39, 41, 45, 53, 57, 67, 69, 73, 79, 83, 87, 91, 99, 101, 105, 111, 113, 125, 127, 131, 133, 135, 137, 139, 155, 165, 167, 171, 201, 213, 217, 245, 247, 255, 263, 287, 301, 311, 319, 321, 337, 361, 365, 367, 371, 385, 401, 421, 437, 439, 453, 457, 461.

I 3: 39 versus: 3, 5, 17, 29, 31, 51, 55, 61, 107, 159, 177, 181, 187, 195, 207, 209, 221, 227, 231, 249, 251, 265, 273, 285, 291, 295, 299, 303, 313, 325, 335, 349, 355, 363, 395, 423, 429, 441, 443.

I 4: 69 versus: 11, 15, 21, 25, 33, 37, 43, 47, 59, 63, 65, 71, 75, 81, 85, 89, 93, 95, 97, 109, 129, 149, 151, 153, 169, 173, 175, 193, 197, 199, 205, 211, 219, 223, 225, 229, 239, 241, 243, 257, 261, 267, 277, 281, 283, 289, 305, 315, 331, 333, 343, 375, 379, 383, 387, 389, 391, 397, 399, 403, 415, 417, 431, 435, 445, 459, 463, 465, 471.

Addere liceat me versum 379, in quo caesura nulla nisi penthemimeres obscurata adest — lectionem traditam servavi — ad formam I 4 numeravisse.

F II.

Hanc formam exhibent hi 4 versus: 35, 279, 449, 473.

F. III.

Huic formae adnumerandi sunt hi 28 versus: 49, 77, 103, 115, 163, 179, 183, 185, 189, 191, 215, 233, 237, 253, 259, 317, 323, 327, 341, 347, 351, 353, 369, 373, 413, 451, 455, 467.

Hexametros igitur tripartitos habes (F II + F III): 32.

F V.

Unus tantummodo versus ad hanc formam pertinet: 307. Exempla formarum IV et VI desunt.

De spondeis in singulos pedes distributis.

Birtius[1]) l. c. p. 18 dicit „invenustum stare atque iners in pede primo verbum spondiacum, quod cum fine pedis finitur consentientibus accentibus. Haud secus displicebit pes quartus spondiacus si antecedit caesurae cui nomen bucolicae". Atque porro l. c. p. 19: „Iam me qui sequitur exspectabit et per totam litterarum latinarum historiam molestias illas formarum spondiacarum ab inelegantioribus magis admissas esse, magis vitatas ab optimis poetis, ita ut inter nobiliores certe fuerit etiam aliqua progressionis per saecula continuatio, et poetarum unumquemque hac in re certam suam secutum esse consuetudinem, qua suum ingenium expresserit facileque ab aliis internoscatur, nisi forte ipsum per certos gradus emendasse artem suam comprobetur".

Quibus praemissis carmina ipsa adeamus. Iisdem vero notis brevibus utar quibus Birtius l. c. p. 20: PPS et PQS significant primum pedem et quartum pedem ante incisionem spondiacum.

Elegia in Maecenatem I.

PPS praebent 5 versus: 19, 41, 73, 107, 143.

PQS habent 11 versus: 11, 41, 45, 47, 49, 53, 73, 75, 85, 119, 139.

Elegia in Maecenatem II.

PPS hoc in carmine ne semel quidem,

PQS ter invenies: sunt hi versus: 3, 23, 31.

---

1) cf. etiam Friedlaenderi Martial. epigr. edit., p. 45—49.

Consolatio ad Liviam.

PPS hoc uno in versu inest: 435.

PQS invenitur in his 32 versibus: 11, 15, 25, 31, 55, 59, 63, 65, 85, 89, 109, 175, 177, 193, 195, 209, 225, 241, 249, 251, 257, 277, 285, 289, 291, 295, 389, 391, 423, 445, 465, 471.

De pentametrorum clausulis.

Qua in re exploranda hae commentationes mihi innotuerunt:

Eichner, Ernest., l. c. p. 64—92.

Birt, Th., in Mart. epigrammat. editione, quam cur. L. Friedlaender, Lips. a. 1886, p. 30—35.

Meyer, Guilh., act. academ. Bavar. a. 1884, p. 1042sq.

Hilberg, I., Die Gesetze der Wortstellung im Pentameter des Ovid, Lips. a. 1894.

Kessel, P., de pentametro inscriptionum lat., diss. Bonnae a. 1908.

„Der Schluß der klassischen Form des Pentameters hat eine ebenso einfache als feste Regel: er wird nur durch ein zweisilbiges, jambisches Wort gebildet". (sic. Meyer, l. c. p. 1042.) Qua de re omnes viros doctos consentire constat. Quomodo vero res se habet in elegiis in Maecenatem? Omnes versus pentametri in iis ita formati sunt, ut clausulam eorum efficiat verbum bisyllabum idque iambicum.

Idem dici potest de pentametris qui nobis occurrunt in consolatione ad Liviam his quattuor versibus exceptis: 122, 124, 390, 426. Versus autem 122 *(ubi es)*, 124 *(ubi es)*, 426 *(ope es)* eorum versuum numero adscribendi sunt, quos Birtius excusat his verbis: „Coalescit nempe *est* in exemplis his cum verbo antecedente, id quod praeclare persuadet ut pentametrorum quoque clausulam talem *sat est* (trist. V 7, 78) et *scelus est* (ex Ponto I 6, 28) pro una quasi voce enuntiandam esse putemus"[1]). Restat igitur versus 390, quo quidem in versu clausula quadrisyllaba nomine proprio *Pannonii* excusatur.

Denique hexametrorum numeros quos his in carminibus invenimus, ipsos componamus atque comparemus cum aliorum

---

1) Birt, de halieut. Ov. poet. falso adscriptis, Berol. a. 1878, p. 192.

poetarum carminibus. Itaque has duas tabellas inspicias quaeso, quarum in altera conferam elegias in Maecenatem cum consolatione ad Liviam, in altera vero elegias in Maecenatem atque consolationem ad Liviam cum Ovidii tristibus et ex Ponto epistulis. Numeri uncis inclusi exempla quot habeat liber totus indicabunt.

Semel reperitur:

	PPS	PQS	F II	F III	hex. trip.
	in vv.	in vv.	in vv.	in vv.	in vv.
elegiae in Maec.	18 (5)	$6\frac{5}{14}$ (14)	—	$7\frac{5}{12}$ (12)	$7\frac{5}{12}$ (12)
consol. ad. Liv.	237 (1)	$7\frac{1}{3}$ (32)	$59\frac{1}{4}$ (4)	$8\frac{3}{7}$ (28)	$7\frac{1}{3}$ (32)

	PPS	PQS	hex. trip.
	in vv.	in vv.	in vv.
consol. ad Liv.	237 (1)	$7\frac{1}{3}$ (32)	$7\frac{1}{3}$ (32)
eleg. in Maec. I	$14\frac{2}{5}$ (5)	$6\frac{1}{2}$ (11)	$7\frac{1}{5}$ (10)
eleg. in Maec. II	—	$5\frac{2}{3}$ (3)	$8\frac{1}{2}$ (2)
trist. lib. I [1]	$92\frac{1}{4}$ (4)	10 (37)	23 (16)
trist. lib. II	$72\frac{1}{4}$ (4)	$7\frac{2}{5}$ (39)	$19\frac{1}{2}$ (15)
trist. lib. III	79 (5)	$9\frac{1}{3}$ (43)	28 (14)
trist. lib. IV	$67\frac{4}{5}$ (5)	$11\frac{2}{3}$ (29)	$25\frac{2}{3}$ (13)
trist. lib. V	75 (5)	$8\frac{3}{4}$ (43)	25 (15)
ex Ponto lib. I [1]	$54\frac{5}{7}$ (7)	$7\frac{1}{2}$ (51)	$29\frac{1}{2}$ (13)
ex Ponto lib. II	$63\frac{1}{2}$ (6)	7 (55)	$25\frac{2}{5}$ (15)
ex Ponto lib. III	184 (2)	$6\frac{4}{7}$ (56)	$28\frac{1}{3}$ (13)
ex Ponto lib. IV	40 (11)	$7\frac{1}{5}$ (61)	17 (26)

Itaque differentia satis magna non latebit quae inter elegias in Maecenatem atque consolationem ad Liviam intercedit, praesertim PPS et F II examinantibus. Sed his quidem omissis aliquid colligi posse ex numeris allatis vix contenderim. Nam una ex parte numerorum discrepantia inter Ovidii scripta atque consolationem ad Liviam elegiasque in Maecenatem magna est (cf. PPS et hex. trip.), altera ex parte necessitudo quaedam exstat

1) numeros desumpsi ex Birtii libro „de halieuticis Ovidio poetae falso adscriptis", Berol. a. 1878, p. 187.

(cf. PQS). Quae cum ita sint, fortasse non inutile erit hanc tabellam inspicere, ut cum quibusnam potissimum carminibus elegiae in Maecenatem similitudine coniunctae sint appareat.

Semel exstat:

	PPS		PQS		hex. trip.	
	in vv.		in vv.		in vv.	
elegiae in Maec.	18	(5)	$6^5/_{14}$	(14)	$7^5/_{12}$	(12)
Aetna [1]	$19^3/_4$	(32)	$7^7/_{10}$	(82)	$6^7/_{12}$	(95)
Culex [2]	$19^5/_7$	(21)	5	(84)	$6^1/_2$	(64)
Iuvenal. lib. II [3]	19	(18)	$6^7/_{10}$	(51)	$8^1/_8$	(42)
Iuvenal. lib. XIV [3]	$19^1/_2$	(17)	$6^5/_{13}$	(52)	8	(42)
Auson. Mosella [4]	18	(21)	7	(69)	7	(68)

1) cf. Franke, l c. p. 13, 17, 18.
2) cf. Birt, ad hist. hex. lat. symb., p. 41.
3) cf. Birt, l. c. p. 68.
4) cf. Birt, l. c. p. 69.

Conclusio.

Iam vero absolutis grammaticis et metricis elegiarum observationibus eorum quae hac commentatione protuli ut summam faciamus restat. Breviter igitur ex elegiarum in Maecenatem sermone componamus quae prorsus aliena sunt a tota poesi Augustea.

Elegia I in Maecenatem.

3. *enim* particula quarto versus loco posita.

tam adverbium ab adiectivo quo referendum est longiore intervallo distractum.

8. Concursus coniunctionum *tamen* et *sed* ordine qui est *tamen sed;* hic solum.

que significans *quoque* vel *etiam* = „auch".

11. *fidus* positum pro *foedus* = „Bündnis".

Coniunctio *nam* quartum et versus et sententiae locum tenens.

12. concursus duarum praepositionum: *propter in.*

13. *almus* Caesaris epitheton; hic solum.

21. *discinctus animo.*

23. *quibus fuit* pro *quibuscum fuit.*

31. concursus coniunctionum *tamen* et *nec* ordine qui est *tamen nec;* hic solum.

33. *nympha* metonymice usurpatum pro *lympha* vel *aqua.*

39. *defunctus* substantivum pro subiecto sententiae positum et significans „der Tote".

40. *fortiter* adverbium adiectivi *fortis* locum tenens.

46. duae praepositiones pertinentes ad eundem accusativum: *circa et ante ducem.*

49. *illo* dativus nomine non adiecto pro *illi* positum.

51. *Actius* absolute positum pro *Apollo;* hic solum.

54. *dotalis* adiectivum substantivi vicem agens et significans *dotalis merces* vel *dos* ipsa.

56. *exoriens* pro *oriens* adhibitum.

75 et 77. *Lydia* absolute pro *Omphale* positum.

78. *ducere* pro *trahere.*

81. in enuntiato temporali praesens tempus post tempus praeteritum.

83. *cumve;* hic solum.

86. *solus in arma* = „allein kämpfend".

88. *percubuisse;* hic solum.

91. *sacerdos,* epitheton Ganymedis; hic solum.

101. *conglaciari* alibi non nisi in prosa oratione obvium.

103. *solute* adverbium et ipsum in prosa tantum oratione adhibitum.

104. *idem quod* pro *id quod.*

107. *Scylleïa;* hic solum.

108. *metus* = „Schrecknisse".

110. *Aeetis* = Medea.
omniperita; hic solum.

121. *semper* pro *sempiternus.*

122. *complacuisse.*

136. *decubuisse* significans *mortuum esse.*

Elegia II in Maecenatem.

4. *augustus* idem significans quod *magnificus* vel *mirabilis.*

10. asyndeton enumerativum: *amplexus, oscula, verba, manus.*

12. *satis* totam apodosin explens vocula *est* omissa.

17. *illic* de locis, quae nos incolimus, dictum.

21. *cineres interque favillas.*

23. *beate* adverbium apud poetas classicos non obvium.

29. *bis dignus* = dignissimus.

Haec sunt quae abhorreant ab Augusteae aetatis sermone poetico. Sin autem accuratius quae de horum elegorum scriptoris genere dicendi protuli examinaveris, haud pauca his in carminibus inesse videbis, quae indicant aetatem posteriorem. Vocamur autem sine dubio ad Senecae philosophi vel Statii aetatem. Nam ad horum scriptorum rationem elegiarum auctorem accedere vidimus. cf. quae dixi ad

Elegiae prioris 21: *discinctus animo.*
33: *nympha* = aqua.
39: *defunctus* = mortuus.
108: *metus* = „Schrecknisse".

Elegiae alterius 4: *augustus* = magnificus vel mirabilis.
10: asyndeton enumerativum.
12: *satis* totam apodosin explens vocula *est* omissa.

Post Senecae igitur epistulam 114 haec disticha scripta esse recte supra p. 14sqq. statuimus. Idem autem iudicandum est etiam de consolatione ad Liviam; modo memineris quae de participio *functus* similibusque supra p. 10sqq. exposui. Huic vero aevo elegiarum res metrica quoque convenire videtur, quippe quae similitudinem quandam habeat cum Aetnae carminis, quod eodem fere tempore ortum esse ostendit nuperrime Ernestus Herr in dissertatione quam scripsit de Aetnae carminis sermone, Marp. a. 1911, p. 103[1]).

Neque vero mireris, quod in elegia in Maecenatem altera paulo rarius invenies quae offendant. Nam hoc carmen, ut Maehlii verbis utar, „nullis neque dictionis neque sententiarum virtutibus eminet neque usquam ad carminis vere elegiaci altitudinem assurgit".

Itaque O. Ribbeckio assentior, qui in poeseos Romanae historia, Stuttg. a. 1892, tom. III, p. 140 de elegiis in Maecenatem haec dicit: „Beide Arbeiten stehen an poetischem Wert weit

---

1) cf. etiam C. Catholy, de Aetnae aetate, Gryph. a. 1908, p. 63.

hinter der Trostelegie an Livia zurück; sie tragen den Stempel nicht nur der Schule und der Abhängigkeit von der ovidischen Manier, sondern der Schülerhaftigkeit. Nimmt man alles zusammen, so ergibt sich als wahrscheinlich, daß alle drei Elegieen Übungsstücke gleichzeitiger, aber ungleich geschickter Kunstjünger vielleicht der neronischen Zeit waren, welche gegebene Themata bearbeiteten. Voran ging das längere Gedicht auf Drusus, welches den beiden anderen vorlag, vielleicht vom Lehrer gefertigt; daran lehnten sich die beiden anderen an".

Denique etiam haec pensitemus, quae iam supra p. 17 attigi. Annis qui sunt ab 8 a. Chr. n. ad 50 vel 45 p. Chr. n. magna oblivio Maecenatis memoriam contegit; simul eodem tempore omnes scriptores Propertio Ovidioque exceptis etiam Horatium neglegebant[1]), cuius Velleius ne mentionem quidem facit. Ovidius Maecenatem nusquam celebrandum putavit. Subito sub initium regni Neronis ex tenebris quasi emergunt ambo: tum enim subito et Horati et Maecenatis cura et admiratio et imitatio vigere coepit. Quos primus fere panegyricus in Pisonem dictus celebrare incipit; tum Horatium imitari incipit Seneca, eundem Persius; de metris Horatianis disputat Caesius Bassus; tum etiam libros libellosve, quos Maecenas scripsit, ipsos legere et cognoscere coepit Roma, id quod demonstravit Lunderstedt l. c.

Patet igitur Neronis aetatem unicum tempus fuisse, quo poeta aliquis Maecenatem celebrare vel eius mores defendere suscipere potuerit. Nam antea eum nemo curabat. Indidem autem etiam artificiosum et putidum genus loquendi explicatur, quo a Drusi epicedio plane discrepant elegiae quas tractavimus. Scilicet Maecenatis ipsius contortum sermonem aemulatus est elegiarum poeta. Propterea id ipse urguet in eleg. I versu 68 Maecenati consulto *verba nova* fuisse. Quod ut cognoscas adscribo sub finem nonnullas Maecenatis sententiolas[1]):

---

1) accuratissima de Horati ~~me~~memoria collectanea dedit M. Hertz, ind. lect. Vratisl. aest. a. 1878, p. 1—10.

1) In Maec. fragmentis numerandis secutus sum Lunderstedtium, l. c. p. 34—46.

frgm. 3: lucentes, mea vita, *nec* smaragdos
beryllos mihi, Flacce, *nec* nitentes.
frgm. 10: ipse enim altitudo attonat summa.
frgm. 11: amne silvisque ripa comantibus.
ib.: ut cervice lassa fanantur nemoris tyranni.
ib.: genium festo vix suo testem.
frgm. 15: pexisti capillum naturae muneribus gratum.
frgm. 16:
sole et aurora rubent plurima —
inter sacra movit aqua *fraxinos* —
ne exsequias quidem unus inter miserrimos viderem meas[1]).

Discinctus sermo et Maecenatis et eius laudatoris dicendus est si modo omissionem et traiectionem particularum respicis et nova quoque vocabula quae finxit poeta qualia sunt: *percubuisse* (eleg. I 88), *Scylleïa* (ib. 107), *omniperita* (ib. 110). Ex Maecenatis fragmentis *ἅπαξ εἰρημένα* quae dicuntur affero haec[2]): *ninnius* (frg. 2) *columbari, fanari, crepax* (frg. 11).

1) cf. etiam Lunderstedt, l. c. p. 26 sq.
2) idem p. 25.

Elegiae in Maecenatem.

Sententiarum in elegiis in Maecenatem ordo hic fere est[1]):

Elegia in Maec. I: Lollio auctore carmen componendum esse in mortem Maecenatis, qui amicitiae vinculo cum Augusto coniunctus fuerit (1—12). Quamquam tanta gratia apud Caesarem floruerit, tamen numquam Maecenatem ea abusum esse (13—20). Defenditur deinde Maecenas contra lividum, qui eum vituperaverat propter otium nimis molle tunicasque solutas; quod opprobrium compensari summa de urbis salute cura (21—30), vitae modestia (31—38), virtute bellica (39—48). Aequum esse victorem animo indulgere, quod probatur exemplis Apollinis (49—56), Bacchi (57—68), Herculis (69—86), Iovis ipsius (87—92). Victori igitur licere otio se dare, devictum vero vexari (93—102). Sequitur ipsa conclusio totius disputationis (103—106). Atque tum demum ad ipsam mortem revolvitur sermo: Dignum Maecenatem fuisse, qui Medeae arte iuventutem recuperaret aut Aurorae coniunx fieret (107—128). Omnium hominum mortem complorari, quamvis senes mortui sint (129—140). Postremo tellus invocatur, ut leviter ossibus incumbat (141—144).

Elegia in Maec. II: Maecenas moribundus conqueritur, quod non ante Drusum mortuus sit (1—6); deinde valedicit uxori (7—10) et Augusti amici memoriam se mortuum quoque servaturum esse affirmat (11—22). Augusto omnia se debere Maecenas dicit (23—26) et optat, ut Augustus eiusque familia perpetua felicitate floreant (27—34).

---

1) cf. Birt, de halieuticis etc. p. 12. — O. Schantz, l. c. p. 13 sq.

I.

Defleram iuvenis tristi modo carmine fata,
  sunt etiam merito carmina danda seni.
ut iuvenis deflendus enim tam candidus et tam
  longius annoso vivere dignus avo.
inreligata ratis numquam defessa carina,
  et redit in vastos semper onusta lacus.
illa rapit iuvenes prima florente iuventa,
  non oblita tamen sed repetitque senes.
nec mihi, Maecenas, tecum fuit usus amici,
  Lollius hoc ergo conciliavit opus;
fidus erat vobis nam propter Caesaris arma
  Caesaris et similem propter in arma fidem.

Regis eras, Etrusce, genus; tu Caesaris almi
  dextera, Romanae tu vigil urbis eras.
omnia cum posses tanto tam carus amico
  te sensit nemo posse nocere tamen.
Pallade cum docta Phoebus donaverat artes,
  tu decus et laudes huius et huius eras,
sicut vulgares vincit beryllus harenas,
  litore in extremo quas simul unda movet.

Quod discinctus eras, animo quoque, carpitur unum:
  dilutum hoc nimia simplicitate tua.

---

3 et 4. p. 20 sqq. **5 et 6**. p. 23 sq. **8**. p. 24 sq. **10**. p. 25 sq. **11**. p. 26 sq. **12**. p. 27 sq. **13**. p. 28 sq. **14**. p. 29. **16**. p. 29 sq. **17 et 18**. p. 30 sq. **19 et 20**. p. 31 sq. **21**. p. 32 sq.

sic illi vixere, quibus fuit aurea Virgo,
quae bene praecinctos postmodo pulsa fugit.
livide, quid tandem tunicae nocuere solutae,
aut tibi ventosi quid nocuere sinus?
num minus Urbis erat custos et Caesaris opses?
num tibi non tutas fecit in Urbe vias?
nocte sub obscura quis te spoliavit amantem,
quis tetigit ferro durior ipse latus?

Maius erat potuisse tamen nec velle triumphos,
maior res magnis abstinuisse fuit.
maluit umbrosam quercum nymphasque cadentes
paucaque pomosi iugera certa soli.
Pieridas Phoebumque colens in mollibus hortis
sederat argutas garrulus inter aves.
marmora Maeonii vincent monumenta libelli,
vivitur ingenio, cetera mortis erunt.

Quid faceret? defunctus erat comes integer, idem
miles et Augusti fortiter usque pius.
illum piscosi viderunt saxa Pelori
ignibus hostilis reddere ligna ratis.
pulvere in Emathio fortem videre Philippi:
tam tunc ille tener, tam gravis hostis erat!
cum freta Niliacae texerunt lata carinae,
fortis erat circa, fortis et ante ducem;
militis Eoi fugientis terga secutus,
territus ad Nili dum fugit ille caput.

Pax erat: haec illo laxarunt otia cultus.
omnia victores Marte sedente decent.
Actius ipse lyram plectro percussit eburno,
postquam victrices conticuere tubae.
hic modo miles erat, ne posset femina Romam
dotalem stupri turpis habere sui.

---

23. p. 33. **24.** p. 33 sq. **25 et 26.** p. 34. **28.** p. 34 sq. **31.** p. 35. **33.** p. 35 sq. **34.** p. 36. **35 et 36.** p. 37 sq. **37.** p. 38. **39 et 40.** p. 38 sq. **42.** p. 39 sq. **44.** p. 40. **46.** p. 40. **47.** p. 40. **49.** p. 41. **51.** p. 41. **53 et 54.** p. 42.

hic tela in profugos (tantum curvaverat arcum)
misit ad extremos exorientis equos.

Bacche, coloratos postquam devicimus Indos,
potasti galea dulce iuvante merum
et tibi securo tunicae fluxere solutae,
te puto purpureas tunc habuisse duas.
sum memor et certe memini sic ducere† thyrsos†
bracchia purpurea candidiora nive.
et tibi thyrsus erat gemmis ornatus et auro,
serpentes hederae vix habuere locum.
argentata tuos etiam talaria talos
vinxerunt certe, nec puto, Bacche, negas.
mollius es solito mecum tum multa locutus
et tibi consulto verba fuere nova.

Impiger Alcide, multo defuncte labore,
sic memorant curas te posuisse tuas,
sic te cum tenera multum lusisse puella,
oblitum Nemeae iamque, Erymanthe, tui.
ultra numquid erat? torsisti pollice fusos,
lenisti morsu levia fila parum.
percussit crebros te propter Lydia nodos,
te propter dura stamina rupta manu.
Lydia te tunicas iussit lasciva fluentes
inter lanificas ducere saepe suas.
clava torosa tua pariter cum pelle iacebat,
quam pede suspenso percutiebat Amor.
quis fore credebat, cum iam premit impiger infans
hydros ingentes vix capiente manu,
cumve renascentem meteret velociter hydram,
frangeret immanes vel Diomedis equos
vel tribus adversis communem fratribus alvum
et sex adversas solus in arma manus?

---

55 et 56. p. 42 sq. 61—63. p. 43 sqq. 69. p. 45. 72. p. 45. 73. p. 45. 76. p. 46. 77 et 78. p. 46. 81. p. 46 sq. 83. p. 47. 85 et 86. p. 48.

Fudit Aloidas postquam dominator Olympi,
dicitur in nitidum percubuisse diem,
atque aquilam misisse suam, quae quaereret ecquid
posset amaturo digna referre Iovi.
valle sub Idaea dum te, formose sacerdos,
invenit et presso molliter ungue rapit.

Sic est: victor amet, victor potiatur in umbra,
victor odorata dormiat inque rosa.
victus aret victusque metat, metus imperet illi,
membra nec in strata sternere discat humo.
tempora dispensant usus et tempora cultus,
haec homines, pecudes, haec moderantur avis.
lux est: taurus arat; nox est: requiescit arator
liberat et merito fervida colla bovi.
conglaciantur aequae: scopulis se condit hirundo,
verberat egelidos garrula vere lacus.

Caesar amicus erat: poterat vixisse solute,
cum iam Caesar idem quod cupiebat erat.
indulsit merito. non est temerarius ille.
vicimus: Augusto iudice dignus erat.

Argo saxa pavens postquam Scylleïa legit
Cyaneosque metus iam religanda ratis,
viscera disiecti mutaverat arietis agno
Aeetis sucis omniperita suis.
his te, Maecenas, iuvenescere posse decebat,
haec utinam nobis Colchidos herba foret.
redditur arboribus florens revirentibus aestas:
ergo non homini, quod fuit ante, redit?
vivacesque magis cervos decet esse paventes,
si quorum in torva cornua fronte rigent?
vivere cornices multos dicuntur in annos:

---

87 et 88. p. 48. **89 et 90.** p. 48 sq. **91 et 92.** p. 49. **93.** p. 49. **94.** p. 49 sqq. **101.** p. 51. **102.** p. 51. **103.** p. 51. **104.** p. 52. **105.** p. 52. **107—110.** p. 52 sqq. **111.** p. 55. **113.** p. 55 sq. **114.** p. 56 sq. **115.** p. 57.

cur nos angusta condicione sumus?
pascitur Aurorae Tithonus nectare coniunx
atque ita iam tremulo nulla senecta nocet.
ut tibi vita foret semper medicamine sacro,
te vellem Aurorae complacuisse virum.
illius aptus eras croceo recubare cubili
et, modo poeniceum rore lavante torum,
illius aptus eras roseas adiungere bigas,
tu dare purpurea lora regenda manu,
tu mulcere iubam cum iam torsisset habenas
procedente die respicientis equi.
— — — — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — — —

Quaesivere chori iuvenum sic Hesperon illum,
quem nexum medio solvit in igne Venus,
quem nunc in fuscis placida sub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernis equis.
hic tibi Corycium, casias hic donat olentis,
hic et palmiferis balsama missa iugis.
nunc pretium candoris habes, nunc redditus umbris:
te sumus obliti decubuisse senem.
ter Pylium flevere sui, ter Nestora canum,
dicebantque tamen non satis esse senem.
Nestoris annosa vicisses saecula si me
dispensata tibi stamina nente forent.

Nunc ego quod possum: tellus, levis ossa teneto,
pendula librato pondus et ipsa tuum.
semper serta tibi dabimus, tibi semper odores,
non umquam sitiens, florida semper eris.

---

121. p. 57 sqq. **122.** p. 59. **123—125.** p. 59 sqq. **126—128.** p. 61 sq. **129 et 30.** p. 62 sq. **131 et 132.** p. 63 sq. **133 et 134.** p. 64. **135.** p. 64. **136.** p. 65. **137.** p. 65. **139.** p. 65 sq. **141.** p. 66. **142.** p. 66. **144.** p. 67.

II.

Sic est Maecenas fato veniente locutus
frigidus, et iam iam cum moriturus erat:
mene, inquit, iuvenis primaevi, Iuppiter, ante
augustam Drusi non cecidisse fidem!
pectore maturo fuerat puer, integer aevo,
et magnum magni Caesaris illud opus.

Discidio vellemque prius — non omnia dixit
inciditque pudor quae prope dixit amor.
sed manifestus erat: moriens quaerebat amatae
coniugis amplexus oscula verba manus.

Sed tamen hoc satis est: vixi te, Caesar, amico
et morior dixit, dum moriorque, satis.
mollibus ex oculis aliquis tibi procidet umor,
cum dicar subita voce fuisse tibi.
hoc mihi contingat: iaceam tellure sub aequa.
nec tamen hoc ultra te doluisse velim,
sed meminisse velim: vivam sermonibus illic;
semper ero, semper si meminisse voles.
et decet, ut certe vivam tibi semper, amare
nec tibi qui moritur desinit esse tuus.
ipse ego quidquid ero cineres interque favillas,
tunc quoque non potero non memor esse tui.

Exemplum vixi te propter molle beate,
unus Maecenas teque ego propter eram.
arbiter ipse fui: volui quod contigit esse:
pectus eram vere pectoris ipse tui.

Vive diu, mi care, senex pete sidera sero:
est opus hoc terris, te quoque velle decet.

---

1 et 2. p. 68 sq. **3 et 4.** p. 69 sqq. **5.** p. 72. **6.** p. 72 sq. **7.** p. 73. **8.** p. 73. **9 et 10.** p. 73 sqq. **12.** p. 75 sqq. **14.** p. 77. **15.** p. 77 sq. **16.** p. 78. **17.** p. 78 sq. **19.** p. 79. **21.** p. 79 sq. **23 et 24.** p. 80 sq. **25 et 26.** p. 81 sq. **27.** p. 82.

et tibi succrescant iuvenes bis Caesare digni
et tradant porro Caesaris usque genus.
sit secura tibi quam primum Livia coniunx,
expleat amissi munera rupta gener.
cum deus intereris divis insignis avitis,
te Venus in patrio collocet ipsa sinu.

---

29. p. 83 sq. 31. p. 84. 32. p. 84 sq. 33. p. 85.

Vita.

Natus sum Julius Fridericus Middendorf in provinciae Guestfaliae vico cui nomen est Hassley die 6 mensis Junii anni 1884 patre Friderico, matre Carolina e gente Schlaeper, quos adhuc superstites esse gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Civis Borussus sum. Primis litterarum elementis Hohenlimburgi Guestfalorum imbutus frequentavi inde ab anno 1898 gymnasium in Guestfalorum oppido quod Hagen vocatur, ubi autumno anni 1903 testimonium maturitatis adeptus sum. Hieme eiusdem anni in numerum civium academicorum adscriptus Monasterii litterarum antiquarum et germanicarum studiis me dedi. Ibi per senos menses moratus vere 1904 Tubingam migravi atque sex mensibus post Berolinum. Deinde per sex deinceps semestria in academia Marpurgensi studiis meis operam dedi. Postquam complures annos valetudine et stipendiis faciundis ut a studiis recederem coactus sum, vere anni 1910 Marpurgum redii. Hic die 31 mensis Julii anni XII h. s. examen rigorosum subii. Abinde usque ad diem promotionis Marpurgi versatus sum.

Docuerunt me viri doctissimi hi:
Monasterienses: Kappes, Sonnenburg, Stahl, Storck †, Streitberg.
Tubingenses: Gundermann, R. Herzog, Schwabe †, Spitta.
Berolinenses: Dessoir, Diels, Helm, Herrmann, Imelmann, Kekulé de Stradonitz †, R. M. Meyer, M. C. P. Schmidt, de Wilamowitz-Moellendorff.
Marpurgenses: Ach, Birt, Bock, Brackmann, Elster, Chr. Jensen, Kalbfleisch, Koeppe, Maass, Menzer, Mirbt, Natorp, Niese †, Rade, de Sybel, Thiele, Thumb, Tuczek, Varrentrapp †, Wrede.

Sodalis fui per sex menses proseminarii philologici Berolinensis Wilamowitzio directore, Marpurgensis Kalbfleischio moderante; in seminarii philologici primam classem benevolenter me receperunt Birt, Kalbfleisch, Maass per bis senos menses. Praeterea benigne me admiserunt ad exercitationes germanicas Elster, Wrede, philosophicas Natorp, palaeographicas Brackmann.

Magnas gratias ago omnibus his viris, imprimis Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff, qui studiis meis multos variosque impetus dedit. Eximias vero debeo gratias Theodoro Birt, a quo impulsus semperque liberalissimo consilio adiutus hanc dissertationem composui, atque Ernesto Maass, quorum quanta fuerit erga me benevolentia numquam obliviscar.